30 Quid autem de votis præjudicantibus uxori, quando ex ejus licentia ſunt facta, an poſſit uxor irritare: diximus *c. 17. n. 14.* poſse.

31 Atque idem dicendum eſt, ſi vir ex licentia uxoris perfectam caſtitatem voueat, poterit enim uxor irritare, quo ad debiti redditionem, & quidem validè, ſed cum lethali culpa, quando juſta cauſa abeſt, licitè autem, quando illa adeſt. Et idem dicendum eſt, quo ad petitionem debiti, juxta opinionem dicentem irritari poſse id votum abſque licentia emiſsum; ſecùs juxta noſtram, quam tenuimus *num. 27.* ubi diximus, quo ad alios effectus numquam poſse. Si tamen mutuo conſenſu uterque conjux voueat caſtitatem, & iterum, quamuis ſacrilegè, ſibi jus in corpus concedat, & renuntiationem juris remittat, quo caſu diximus *num. 17.* poſſe virum irritare illud votum caſtitatis uxoris, nequit uxor votum illud viri irritare. Quia quo ad reddendum, in quo uxor eſt domina, non indiget irritatione; cum ſtatim teneantur conjuges ad reddendum. Ut probaui *libro 9. de matrimon. diſp. 37. n. 15.* Quo ad alios autem actus, ad quos votum illum obligat, nequit uxor irritare, etiamſi abſque ſua licentia ſit votum emiſsum. Ut diximus *nu. 27.* At tenendo contrarium *ibi* relatum, nempe, poſse irritare, quo ad petitionem debiti, poterit quoque in hoc caſu, & licitè cum cauſa, illicitè autem ſine illa; at verò in utroque caſu validè. Quia ea licentiæ conceſſio non obſtat valori, ſed ſoli honeſtati, quando cauſa juſta deeſt, & mutuus conſenſus ratione renuntiationis ibi incluſæ obſtans, jam eſt remiſsus conceſsa ea noua corporum poteſtate. At reliqua vota communi conſenſu facta, quæ aliàs poterat uxor irritare facta ſine licentia, eò quòd ſibi præjudicant, de quibus factis ab uxore reſpectu poteſtatis viri, diximus *numer. 18.* & diximus poſse virum irritare, præter illa, quæ ſunt mutuandi ſtatum, aut implenda tempore ſoluti matrimonii, dicendum eſt poſse uxorem irritare, ſicut poterat facta ſine licentia, præterquam quod exigitur juſta cauſa ad euitandam culpam mortalem. Quia ea licentia hoc ſolùm efficit.

32 Sed quæres, quid dicendum ſit de votis factis à conjugibus tempore, quo caſtitatis voto emiſso ex mutuo conſenſu erant ligati. Duplex tempus eſt diſtinguendum. Prius eſt, quando adhuc ſic perſeuerant. Poſterior autem, quando iterum ceſsere illa ſui juris renuntiatione, tradentes ſibi mutuam corporum poteſtatem. Et ſi de priori tempore loquamur, poterit vir omnia uxoris vota irritare, ſiue ſolùm cohabitationi, & mutuis obſequiis obſtent, ſiue ſoli debito conjugali perſoluendo, præter illud caſtitatis. Et de prioribus, ratio eſt. Quia conjuges per tale votum non abſoluuntur à cohabitatione, & mutuis obſequiis, ſed à ſolo debito conjugali petendo, & reddendo, ut probaui *lib. 9. de matrimon. diſp. 37. n. 14.* & ideò vir habet dominium materiæ, & inſuper ipſi incumbit voluntatis uxoris gubernatio. De poſterioribus autem ratio eſt, quia etſi dominium ejus materiæ non habeat, cum per id votum caſtitatis ceſserit jure ſuo, habet tamen dominium, & gubernationem voluntatis uxoris, ratione cujus poterit illa irritare; ſicut poſse diximus *num. 3.* vota ſeruandi præcepta, quamuis ejus materiæ dominio careat. Uxor autem ſola vota longæ peregrinationis, & alia hujuſmodi aduerſa cohabitationi irritare poteſt. Quia quo ad hunc ſolam jus habet, & caret gubernatione voluntatis viri. Si verò de poſteriori tempore loquamur, maritus poterit perfectè irritare omnia uxoris vota eo medio tempore emiſsa. Nam etiam priori tempore id poſse probauimus. At uxor poterit perfectè irritare vota tunc emiſsa obſtantia cohabitationi, ſicut & poterat in priori tempore. At vota tunc emiſsa obſtantia debito conjugali nequit perfectè irritare, ſed tantùm ſuſpendere; ut ſi medio illo tempore magnas abſtinentias debito conjugali obſtantes vir promiſiſset. Quia cum vir tempore hujus voti emiſſi eſset ſui juris, quo ad debitum reddendum, poterat independenter illi obſtantia emittere; atque ita reputabuntur tamquam facta ante matrimonium, quæ ſolùm poſse uxorem ſuſpendere, quando ſibi præjudicant, diximus *c. 31. n. 12.*

33 De votis autem emiſſis à conjugibus poſtquam communi conſenſu emiſere religionis votum, aut alter religionis, alter vero Ordinis ſacri, aut caſtitatis caſu, quo hæc vota efficaciter obligant (quem explicuimus *lib. 9. de matrimon. diſputat. 37.*) dicendum eſt, viro integrum eſse omnia uxoris vota, præter illud caſtitatis, aut religionis irritare. Quia retinet dominium materiæ, & gubernationem voluntatis uxoris, donec implendo ea vota ſeparetur matrimonium. Uxor autem poterit irritare omnia viri vota, præter illa communi conſenſu emiſsa, quæ aut cohabitationi, aut debito perſoluendo obſtarent. Quia interim jus habet ad utrumque.

34 Demum id obſeruandum eſt, vota omnia uxoris, quæ virum irritare poſse diximus, ſi irritentur, nequaquam reuiuiſcere ſoluto matrimonio. Ut contra alios probauimus *c. 24. n. 4.* Et id habere, verum, & etiamſi cum licentia viri emiſsa ſint, probaui *c. 27. n. 19.* Et idem dicendum eſt de votis viri, quæ uxorem irritare poſse diximus, ea enim irritata non reuiuiſcunt. Quia *nu. 20.* probauimus ea irritari poſse ratione conditionis imbibitæ in illis, ob quam eorum firmitas pendet ex uxoris conſenſu. Quod eſse fundamentum poteſtatis perfectè irritandi, diximus *cap. 27. num. 4.* Et de votis viri ab uxore irritatis tenent expreſsè *Nauarr. ſumma c. 12. Latina, & Hiſpana numero 66. Toledo libro quarto ſumma cap. 18. numero 9. verſ. Irritare enim.* Idem clarè *Angelus verbo Votum 2. n. ultim.* ubi poſtquam in præcedentibus numerarat omnes, qui abſque alterius conſenſu non poterant firmiter vouere, inter quos numerarat viros in præjudicium uxorum, concludit *eo num. ultimo* eos ſubditos non teneri, finita ſuperiorum poteſtate ad vota per illos irrita, ſed ea irritatione extingui in perpetuum. Et apertè ſignificant *Abbas c. Scriptura nu. 7. de voto, & Cajet. 2. 2. qu. 88. art. 8. dub. penult.* ubi probant vota ſemel irritata numquam reuiuiſcere, ex *cap. Quidam, de conuerſat. conjugat.* ubi vir reuocatus à religione per uxorem non tenetur uxore mortua ad eam redire, in qua profeſsus fuerat. Et ſic clarè ſentiunt votum irritatum ab uxore non reuiuiſcere. Quamuis fatear eum textum nil ad hoc conferre; quia ea deciſio non innititur irritationi, ſed nullitati profeſſionis.

CAPUT XXXV.

Qualiter parentibus, tutoribus, & curatoribus, integrum ſit irritare vota filiorum, pupillorum, & minimorum?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n. 1.
Quotuplex ſit votum? n. 2.
Quotuplex ſit ætatis limes, & an anni illius computentur de momento ad momentum? Et quid in anno biſſextili? Et quid quando neſcitur hora natiuitatis, aut dies, aut annus? n. 3.
An ætas ſit computanda à die conceptionis? Et quid quando ex ſecto matris utero fœtus educitur? n. 4.
An votum religionis, & alia emiſſa quacumque ætate poſt rationis uſum valeant? n. 5.
An omnia vota impuberis irritari valeant? Refertur opinio, numero 6.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 7.
An quo ad poteſtatem irritandi voti religionis emiſſi ab impubere, ſit prorogata pubertas uſque ad 16. annum, per Tridentinum? num. 8.
An impubes Ordinem ſacrum aſſumens teneatur ad caſtitatem? numero 9.
An votum impuberis de peculio caſtrenſi, vel quaſi poſſit irritari? num. 10.
Quid, ſi malitia ſuppleat ætatem? n. 11.
Quid, ſi malitia ſupplente ætatem ineat matrimonium, aut alio modo emancipetur? n. 12.
Poſt n. 12. inuenies alia ſummaria.

1 QUadruplex eſt diſputanda quæſtio. Prima de votis impuberum. Secunda de perſonalibus puberum votis. Tertia de realibus, & mixtis puberum votis. Ultima penès quos ſit hæc poteſtas irritandi vota.

2 Quæſtio prima. Quæ impuberum vota irritari valeant? Præmittendum eſt primò, triplex eſſe votum. Quoddam eſt purè perſonale, id eſt, cujus executio ad ſolam perſonam pertinet, nullis pecuniariis ſumptibus petitis. Ut votum religionis, caſtitatis, jejunii. Aliud eſt purè reale, ſcilicet, quod ſolis ſumptibus pecuniariis impletur. Ut votum eleemoſynæ. Aliud mixtum, quod & perſonæ opere, & pecuniis expletur, ut votum peregrinationis.

3 Secundò præmittendum eſt, triplicem eſſe ætatis limitem. Primus eſt infantiæ, in quo nondum eſt rationis uſus. Qui communiter uſque ad ſeptennium completum durat. Ut probaui *lib. 1. de matrimon. diſputat. 16. num. 2.* Quod tamen non ita præciſè eſt intelligendum, ut ſemper ſeptennio uſus rationis accidat; quibuſdam enim citiùs, aliis verò tardiùs aduenit. Jus tamen à communiter accidentibus præſumit completo ſeptennio uſum rationis aduenire. Et ideò in dubio, an citiùs, tardiùsve aduenerit, ſtandum eſt ea juris præſumptione, ut ſeptennio completo præſumatur ſtatim. Ut probaui *eadem diſputat. 16. num. 10.* Secundus ætatis limes eſt impubertas. Hæc incipit ab uſu rationis, & durat in fœminis uſque ad duodecimum annum completum; in maſculis autem uſque ad decimumquartum completum. Cur autem fœmina citiùs pubeſcat, tractant ſatis eruditè *Tiraqu. l. 6. connubiali numero 38. Gutierez auth. Sacramenta puberum nu. 1. & 2. C. Si aduerſus venditionem, Sfortias Oddo tractatu de reſtit. in integrum p. 1. quæſt. 2. toto articulo 4.* Ante hanc autem ætatem vir dicitur pupillus, & fœmina pupilla, & ambo dicuntur impuberes. Conſtat ex *leg. finali, C. Quando tutor, & cap. Puella 20. quæſt. 2. & lex regia 1. tit. 5. & l. 12. tit. 16. part. 6.* Minor autem dicitur tam maſculus, quàm fœmina, à tempore pubertatis uſque ad vigeſimumquintum annum completum, *l. 1. C. ſi minor ſe majorem dixerit.* Hi autem anni tam pubertatis, quàm minoris ætatis debent eſſe omnino completi de momento ad momentum. Sicut de ætate minori diſponitur expreſsè, *l. 3. §. Minorem, ff. de minoribus, ubi Gloſſa verbo Momentum*, ait hoc eſſe fauore minoris ætatis. Et concordat *lex regia 2. titul. decimo nono, parte ſexta, & ibi Gregorius Lopez, verbo Mengue, Sfortias Oddo eadem quæſt. 2. articul. 9. numero 54.* ubi & alios refert, rationemque reddit, quia agitur de fauore minorum, & publico ſimul. Atque benè addit

dit hujus favore, ſi non conſtaret de hora nativitatis, expectandùm totius diei exitum; & ſic nec de die conſtet, ſed de ſolo menſe, expectandum totius menſis exitum; quòd ſi nec de menſe, expectandum totius anni exitum. Atque ſi vigeſimusquintus ætatis compleatur ſexto Kalendas Martii anni biſſextilis, cenſendus eſt compleri die ſecunda, quæ ſexto Kalendas Maji ſimiliter dicitur, nempe, die vigeſimaquinta Februarii, in puncto horæ reſpondente puncto nativitatis. Et ratio eſt, quia utraque dies cenſetur una; & dies ſecunda eſt complementum quadriennii præcedentis, quæ deerat ad complementum integri ſolis per Zodiacum circuli, & ideò ad illius ætatis complementum ea dies eſt accipienda. Et ſic expreſsè habetur *eod. §. Minorem, in fine.* Et notant *Azor. rub. n. 2. C. de in integrum reſtit. & Sfortias Oddo eodem art. 9. n. 55. Molina tom. 1. de juſt. diſp. 573. verſic. Atque ut à minori ætate*; qui benè ſubdit, quamvis in ætate impubertatis id nullibi deciſum reperiatur, eamdem tamen eſſe rationem, & ideò idem eſſe dicendum. Quòd ſimiliter in hoc favor ætatis pupillaris verſetur, ne votis ſe adſtringat, quæ irritari nequeant. Præterea, quia tamquam quid ſpeciale favore teſtamenti decernitur, *l. Quâ ætate ff. de teſt.* ut in ætate pubertatis ad teſtandum petita, ſufficiat ultimam ætatis illius diem eſſe inceptam. Ergo ſecùs eſt in aliis dicendum. Et ita fatentur omnes allegandi.

4 Quòd ſi quæras, an à die conceptionis computetur ætas? *Gloſſa reg. 17. Cancellariæ, & Sfortias Oddo eadem q. 2. art. 7. n. 48.* dicunt, quando eſt favorabile proli, ſic numerari, ita numerandum eſſe, ſecùs ubi eſſet odioſum; & ſic in præſenti ait *Sfortias* numerandam à die nativitatis. Quia numerata à die conceptionis brevius redderet reſtitutionis tempus, quod in minoris detrimentum cederet. Sed meritò *Cov. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 2. n. 3.* ait nil falſius dici poſse; cum generali uſu receptum ubique ſit, ætatem à die nativitatis computari. Idemque tradit *Mandoſius de ætate minori, c. 1. n. 25.* ubi optimè etiam probat filium ex ſecto matris utero editum cenſeri ex tunc natum, & ideò ex tunc computandam ejus ætatem.

5 His præmiſſis, quamvis nonnulli Auctores cenſuerint omnia impuberum vota eſse prorſus irrita, niſi propè pubertatem emittantur. Alii autem id de voto religionis ante pubertatem emiſso opinati ſunt; quos omnes retulimus *hoc lib. 4. c. 18.* At veriſſima ſententia eſt, omnia vota quavis ætate emiſsa, dummodo rationis uſu ſufficiente ad peccatum mortale puer gaudeat, ipſum obligare, donec irritentur. Quod quidem ſatis *ibi* oſtendi.

6 Difficultas autem eſt, an omnia impuberum vota irritari valeant? *Vivaldus candelabro ſacrament. 3. p. c. 14. n. 99.* ait patrem poſſe irritare omnia vota realia filii, & filiæ impuberum, non tamen omnia perſonalia, ſed ſola ſibi præjudicantia. Et nec Doctores allegat, nec rationem reddit.

7 At veriſſimum eſt, quæcumque impuberum vota, ſiue realia, ſive perſonalia, ſive mixta, poſſe à patre, vel tutore irritari. Probatur ex *c. 30. Num.* relato, *c. Mulier 32. q. 2.* ubi id expreſſè habetur. Idem dicitur in *Concilio Toletano 10. c. 6.* & refertur, *c. 1. 20. q. 2.* & in *Concilio Triburienſi c. 24.* & refertur *c. 2. 20. q. 2.* Et ratio eſt, quia impuberes non præſumitur ſatis judicii habere, ut maturè, & prudenter vouere queant, quare ne imprudenter ſe votis adſtringant, voluit jus omnia eorum vota ſubdi poteſtati eorum, quibus ipſi impuberes ſubſunt. Atque ita fatentur univerſi Doctores *toto hoc capite* referendi, dempto *Vivaldo*.

8 Quamuis autem *Ovandus 4. d. 38. diſp. unica, propſitione 22. in fine*, aſſerat poſſe dici prorogatum eſſe hoc impubertatis tempus, in maſculis, & fœminis, uſque ad decimum ſextum annum completum, quo ad poteſtatem irritandi voti religionis, & ita uſque in eam ætatem id poſſe à patre irritari, per decretum *Trid. ſeſs. 25. de regularibus c. 15.* Quod quidem ait ita factum ob voti religionis dignitatem, indigentis maturiori conſilio, quàm omnia alia vota. At hoc caret prorſus fundamento. Quid id decretum de ſola profeſſione agit, reddens eam irritam, ſi ante decimumſextum annum completum fiat. Quare in ſimplici religionis voto, & in omnibus aliis perſonalibus; jus commune illæſum manet, ut ſola ante pubertatem emiſſa irritari valeant. Et ita docent *Palacios 4. d. 38. diſp. 3. col. 23. verſic. At verò forſitan, fol. 873. Azor. tomo 1. inſt. moral. lib. 11. c. 17. q. 7. verſic. Quæres deinde, Philtarcus de officio ſacerdotis tomo 1. p. 2. lib. 3. cap. 18. verſic. Quo ad vota filiorum, Sayro in claui regia, lib. 6. c. 10. n. 24. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, l. 6. c. 6. n. 4.*

9 Imò, quamuis votum caſtitatis ordini ſacro adnexum ſit ſolemne. *cap. unico, de voto, in 6.* ſi tamen impubes cujuſuis ætatis, dummodò rationis uſu gaudeat, qui ad mortale ſufficit, initietur ordine ſacro, tenebitur eo continentiæ voto. Et quamuis de hoc ſint diuerſæ opiniones, quas retuli *lib. 7. de matrimon. diſp. 30. num. 6. 7. & 8. & ibi n. 8.* amplexus ſim non teneri voto, niſi poſt pubertatem ratificet; nunc tamen potiùs placet eum teneri. Quæ fuit prima ſententia *ibi* relata. Et ultra Doctores, quos *ibi* retuli, eam tenent *Cajet. 0. 2. q. 88. art. 9. paulò ante verſic. Ad confirmationem, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſumma, tractatu 10. cap. 7. dubio ult. dicto 8. Sayro in claui regia, l. 6. c. 5. n. 3.* Ratio autem eſt, quia eſt diverſa ratio de hoc voto, & de ſolemni profeſſionis voto; multò enim grauius eſt hoc poſterius, & multò difficilioris diſpenſationis, & obligat ad vitam longè auſteriorem. Atque ideò ex eo quòd Eccleſia hoc votum ante pubertatem emiſſum irritarit, non benè ducitur argumentum ad probandum fuiſſe quoque illud irritatum. Quare cum hæc ex jure humano pendeant, nec in illo inveniatur irritatum votum ordini ſacro ante pubertatem accepto adnexum, non eſt dicendum cenſeri illud irritatum, eò quòd eo jure irritetur profeſſio ante pubertatem emiſſa.

10 Ex his primò deducitur, poſſe quoque irritari à patre, vel tutore, votum reale impuberis, emiſſum de peculio caſtrenſi, vel quaſi; ut ſi poſt ordines minores tunc aſſumptos aliquid, quod aliàs eſſet adventitium, acquirat, quod juxta veriorem ſententiam eſt, quaſi caſtrenſe, vel habeat beneficium Eccleſiaſticum (poteſt enim illud habere juxta multorum ſententiam decimo quarto ætatis anno incœpto, cum tamen tunc ſit impubes) cujus fructus ſunt peculium quaſi caſtrenſe. Et ita ſentiunt uniuerſi Doctores; quamuis enim de hoc ſpeciali caſu non tractent; at nullum votum excipiunt, cum tamen agentes de realibus puberum votis, excipiant univerſi votum de hoc peculio. Idque clarè indicant *Arag. 2. 2. q. 88. ar. 6. in difficultate, quam movet circa quartam concluſionem.* Et *Corradus in ſuis reſponſis 1. q. 308.* Ajunt enim nequire à patre irritari votum reale de peculio caſtrenſi, vel quaſi, quando poſt pubertatem eſt factum & ita à contrario ſenſu opinantur contrarium, quando factum eſt ante pubertatem. Et *Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. 6. num. 6. & 7.* ait nullum impuberis votum excipi à poteſtate irritandi, etiamſi ſit non peccandi. Idque conſtat, quia dum eſt impubes, nequit ullo modo de peculio caſtrenſi, vel quaſi diſpondere. Ut optimè tradit *Molina to. 1. de juſt. diſp. 131. in initio, & diſp. 230. colum. penultima, verſic. Licèt filius; & tomo 2. diſp. 261. colum. 1. verſic. Filiusfamilias.* Et ſatis probatur ex *l. finali, C. de teſt. militari* ubi decernitur impuberem nequire de hujuſmodi peculio teſtari. At difficiliùs conceditur alienatio inter vivos, utpote, quæ magis impuberibus nocet, quàm teſtamenti confectio.

11 Secundò deducitur, quamtumvi malitia ætatem impuberis ſuppleat, vota omnia ipſius poſse è patre, vel à tutore irritari. Quò nec jura, nec Doctores id diſtinguant, ſicut diſtinxere in ætate ad matrimonium petita. Quare non eſt credendum *Palud. 3. d. 39. q. 3. quæſtiunc. 2.* ubi contrarium ſentire videtur, modo impubes ille ſit pubertati proximus, ait enim tunc ingreſſum religionem non poſſe à patre revocari. Quem reprobavi *hoc lib. 4. c. 18. num. 14.* ubi retuli Doctores contra illum ſentientes. Et in noſtris terminis docet *Suar. eod. c. 6. n. 5.*

12 Imò, etſi tunc validè matrimonium inierit malitia ſupplente ætatem, aut diſpenſate Pontefice, ac Eccleſiæ benedictiones receperit, quodcumque votum etiam poſteà, durante tamen impubertate factum poteſt irritari à patre, vel tutore. Quia nec jura, nec Doctores diſtinguunt. Quod clarè ſentit *Gloſſa c. Mulier, vero. In domo 32. q. 2. juncto verbo Mulier*, nam cum textus dicat vota emiſſa à muliere exiſtente in patris domo poſſe ab ipſo irritari, *Gloſſa verbo Mulier*, ait, ideſt, impubes; & ſtatim *verb. in domo*, ait idem ſi eſt extra domum, quia eſt emancipata, dummodo minor ſit, quod verbum, *minor*, viaetur juxta præmiſſa intelligi, *ideſt; impubes* Ad quod etiam confert, nam cum *l. regia 47. Tauri* decidatur filiumfamilias per matrimonium ſecutis Eccleſiæ benedictionibus eximi à patria poteſtate; & *lib. 48.* ex tunc patrem non habere uſumfructum in bonis ejus adventitiis etiam antea quæſitis, quæ leges hodie ſunt in *lib. 5. nova recopil. tit. 1. l. 8. & 9.* dicit *Azevedo ea lib. 9. nu. 19. in initio*, tunc impuberem non egredi à patria poteſtate, nec acquirere uſumfructum; & quamvis non explicet, quando malitia ſupplente ætatem valet matrimonium; at cum abſolute loquatur, videtur etiam in hoc caſu loqui. Quamvis *Baeza de decima tutorum c. 4. num. 20.* quem pro ſe allegat, loquitur clarè, quando matrimonium impuberis non valet. Quippe hac ratione id probat, quòd id impuberis matrimonium non valeat. Atque idem dicendum eſt, qualitercumque impubes ille ſit emancipatus. Atque utrumque ſatis clarè colligitur ex *Suarez*, quem *n. 9.* retuli, ubi ait nullam prorſus exceptionem eſſe *in* votis impuberum.

SUMMARIUM.

An pater, & curator poſſint perſonalia puberum vota irritare, præter votum religionis? Refertur duplex ſententia, numero 13. & 14.
Explicatur ſententia Auctoris; & ſoluuntur contraria, n. 15.
Quid, ſi ea vota perſonalia præjudicent patriæ poteſtati? n. 16.
Explicatur, quando dicantur patriæ poteſtati præjudicare, n. 17.
An poſſint pater plura vota perſonalia filiafamilias, quàm filiifamilias irritare? num. 18.
An hæc poſſit integrè irritare, an dumtaxat, quatenus ſibi nocent? num. 19.
An hæc ſi vera irritatio ita, ut vota non reviviſcant? num. 20.
Poſt num. 20. invenies alia ſummaria.

13 QUæſtio ſecunda. An perſonalia puberum vota irritari valeant à patre? Quidam ajunt omnia irritari poſſe à patre, vel curatore præter ſolum religionis votum. Ducuntur primò, quia jura *numero 6*, allegata negantia patri hanc poteſtatem, loquuntur de ſolo religionis voto; & de hoc ſolo loquitur *D. Thom. 2. 2. quæſt.*

q. 88. art. 9. in fine corporis, & q. ult. art. 5. corpore, & 4. d. 38. q. 1. art. 1. q. ult. ad 2. Secundò, quia prælatus religionis & vir poſſunt irritare omnia perſonalia vota, ille religioſorum, hic uxoris. At pater, ac curator eadem poteſtate gaudent in vota puberum, dum minores ſunt, ac illi; quare cum ſolum religionis votum excipiatur in jure ab hac poteſtate, poterunt omnia irritare. Et ideò hanc partem videntur clarè tenere Innoc. c. Scriptura, nu. 3. verſic. Sed nobis, de voto, & ibi Hoſt. n. 7. Joannes Andreas n. 4. Cardinalis n. 6. q. 12. Ancharanus n. 8. ubi dicunt votum abſtinentiæ a pubere emiſſum poſſe irritari a patre; & opponunt, c. 1. & 2. 20. qu. 2. ubi oppoſitum dicitur, & reſpondent eos textus loqui de voto religionis, per quod filius eſt patris poteſtate eximendus. Et tenet Tabiena in ſumma, verbo Votum 5. q. 5. n. 6. ad medium. Et in eam quamvis dubius inclinat Ovandus 4. d. 38. diſp. unica, in propoſitione 24. Et clarè cenſet eſſe probabilem Sot. lib. 7. de juſt. qu. 3. art. 2. col. 4. verſic. Circa prius autem, quia quaſi trepidus ait ſe libentiùs amplecti oppoſitum.

14 Alii vero cenſent vota perſonalia puellarum puberum poſſe a patre irritari, dum manent in domo patris; at nullum votum perſonale pueri puberis. Quia c. 30. Numer. indiſtinctè dicitur poſſe patrem irritare vota puellæ manentis in domo paterna; & nomine puellæ intelligitur etiam pubes, dummodo non ſit emancipata. Ut tradunt ibi Cajetanus, Oleaſter, Carthuſianus, & Abulenſis q. 15. Et ideò hanc ſententiam tenet Angles floribus 2. p. qu. unica de voto, art. 7. difficult. 12. dub. 6. Et ex ſecunda ejus concluſione colligitur eum ſentire idem de voto religionis emiſſo ab his puellis; nam in ea docens oppoſitum de votis filiorum, explicat votum religionis, & alia perſonalia.

15 At omnino tenendum eſt, id non eſſe ſpeciale in voto religionis, ſed alia quoque vota purè perſonalia puberum non poſſe irritari a patre, nec a curatore. Ratio eſt, quia etſi jura hanc poteſtatem negantia patri, meminerint ſolius voti religionis, id gratia exempli regulam non arctantis fecerunt; & eò quòd de illo, utpote, quod graviſſimum, eſt & multo maturiori conſilio indigens, poſſet eſſe major difficultas. Quare cum ad illud firmiter emittendum jura ſufficiens eſſe judicium cenſuerint, quod puberes habent; a fortiori idem de aliis votis perſonalibus judicarunt. Et ideò hujus ſententiæ eſt clarè D. Thom. 4. diſtinct. 38. q. 1. art. 1. quæſtiuncula ultima ad 2. ubi quamvis de ſolo religionis voto loquatur; at ratio, quam tradit, eſt univerſalis ad omnia vota perſonalia, ibi: Ex quo homo venit ad annos pubertatis, non eſt ſub poteſtate alterius, ſi ſit liberæ conditionis, quantùm ad ea, quæ ad ſuam perſonam ſpectant. Et tenent expreſsè D. Antoninus 2. p. tit. 11. c. 2. §. 6. verſic. Tertiò filiusfamilias, So. tus n. 12. relatus, Aragon. 2. 2. q. 88. art. 9. in difficultate, quam movet circa quartam concluſionem, Angles floribus 2. p. qu. unica de voto, art. 7. poſt difficultatem 12. in dub. 6. concluſione 2. Philiarcus de officio ſacerdotis, tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 18. verſic. Quò ad vota filiorum, paulò poſt principium, Beja in ſuis reſponſis 1. part. caſu 49. verſic. Advertendum eſt tandem, Toledo lib. 4. ſumma c. 18. nu. 7. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 5. nu. 6. Petrus de Ledeſma tom. 2. ſumma, tract. 10. c. 7. dub. ult. dicto 6. Graffis 1. p. deciſionum, lib. 2. c. 26. n. 3. Valentia 2. 2. diſput. 6. qu. 6. puncto 6. qu. ultima, col. penultima, verſic. Atque hoc totum, Suarez 2. tomo de religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. 5. nu. 4. & 5. Llamas in methodo curationis 3. p. cap. 4. §. 22. Corradus in ſuis reſponſis 1. p. q. 308. Atque idem tradunt omnes Doctores num. ſequenti referendi, præterquam de voto perſonali præjudicante patriæ poteſtati.

16 Eſt tamen excipiendum perſonale filiifamilias votum, quod juri patriæ poteſtatis præjudicaret, poteſt enim irritari a patre, etſi poſt pubertatem factam ſit. Quia etſi filius poſſit tunc independenter a patre de actionibus ſuis perſonalibus diſponere, nequit tamen, quoties id in paternæ poteſtatis, ſub qua eſt, præjudicium redundat. Et confirmatur, quia cum in votum cedat in damnum juris acquiſiti patri, illicitum erit, niſi tacitam conditionem includat dependentem a patris conſenſu. Quod eſſe fundamentum poteſtatis irritandi probavimus c. 26. n. 4. Atque ita docent Hoſtienſis ſumma, tit. de voto, §. Quis vovere poſſit nu. 7. verſ. Sed numquid filiusfamilias, Antonius c. Scriptura, n. 4. verſ. Secundo modo, de voto, & ibi Abbas n. 7. Henric. nu. 5. Turrecrem. c. Sunt quædam 17. q. 1. n. 5. Abulenſis c. 30. Numer. q. 77. Roſella in ſumma, verbo Votum 2. nu. 15. Gregorius Lopez lib. 3. verb. De edad, tit. 8. p. 1. Navarrus ſumma c. 12. Hiſpana n. 65. & 70. Latina n. 64. verſ. Tertiò ſupponimus, & nu. 70. Alcozer ſumma c. 16. ubi de potentibus irritare vota, concluſione 4. fol. 56. pag. 1. Graffis 1. p. deciſionum, lib. 2. c. 29. n. 6. Lud. Lop. 1. p. inſtructorii conſcientiæ c. 47. col. 3. verſic. Pater, & Mater, & c. 48. col. 4. verſic. Vota perſonalia, Vivaldus candelabro ſacram. 3. p. c. 14. nu. 99. Manuel 2. tom. ſummæ c. 91. nu. 2. in fine, & nu. 8. concluſione 7. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 10. num. 24. Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de irritatione voti num. 1. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 40. dub. 10. n. 81. Suarez eodem lib. 6. c. 5. n. 4. & meliùs n. 9. Azor. tom. 1. inſt. moral. l. 11. c. 17. q. 7. paulo poſt principium, & alii omnes Doctores num. ſequenti referendi. Quod intelligendum eſt, quando grave, & alicujus momenti eſſet præjudicium; ſecùs autem, quando m dicum. Ut benè limitat Abulenſis ibidem, & favent Doctores num. ſequenti referendi; qui dicunt oportere longam eſſe abſentiam à filiofamilias promiſſam, ut pater tamquam ſuæ poteſtati noxiam poſſit irritare. Nec credo huic limitationi adverſari Navarr. num. 70. & Azor. proximè citatos, quatenus dicunt exigi, ut votum perſonale nihil patriæ poteſtati præjudicet, ne irritari valeat. Nam cum modicum pro nihilo reputetur, præjudicium modicum eſt, quaſi nullum. Uſque ad quotam autem ætatem poſſint irritari, dicemus hoc eodem c. num. 29.

17 Ea autem vota perſonalia dicuntur patriæ poteſtati præjudicare, quæ adverſantur libero, & expedito domus regimini, aut familiæ, aut pertinent ad gubernationem domeſticam. Quia cum patris ſit gubernatio domeſtica, quidquid huic incommodum eſt, dicitur jure optimo patri præjudicare. Quod clarè ſignificat D. Tho. 2. 2. q. 88. artic. 8. ad 2. ubi hæc ait, puer poſt pubertatem non eſt ſuæ poteſtatis, quo ad diſpenſationem domeſticam, unde circa hoc non poteſt aliquid vovere, quod ſit ratum ſine conſenſu patris. Et in propriis terminis docent Supplementum Gabrielis 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. verſic. Octavò filiusfamilias, Angelus in ſumm. verbo Votum 2. numer. 5. Sylveſt. verbo Votum 3. quæſt. 6. Navarr. numer. 70. Ludovic. Lopez cap. 48. col. 4. verſ. Vota perſonalia, Sayro, Suarez utroque numer. Leonard. Azor. ubi eos numer. præcedenti retuli, Margarita confeſſorum, ubi de votorum irritatione, f. 134. in fine. Hujus autem exemplum apponunt Hoſtienſ. numer. 8. Abulenſis, Roſella, Turrecrem. Leonardus, Azor. num. præced. allegati, Ut ſi ſit votum peregrinationis. Quod benè intelligunt Hoſtienſ. Turrer. Abulenſis, Roſella, & Suarez num. 9. quando peregrinatio eſſet longa. Atque idem dicunt Abulenſ. Suarez numer. 9. & Alcozer. numer. præced. relati, quando filiusfamilias diuturnam à domo paterna abſentiam cauſa alicujus operis pii voveret. Atque ego utrumque exemplum intelligo, quamuis nulli ſumptus in ea peregrinatione, & abſentia faciendi eſſent, ſed emendicando, aut alio miniſtrante ſumptus, aut iis factis ex peculio caſtrenſi, vel quaſi peregrinatio fieret. Quippe Auctores citati agunt de voto perſonali; at malè adhiberent exemplum peregrinationis expenſis bonorum, quæ pater adminiſtrat, peragendæ; hujuſmodi enim votum eſſet mixtum ex perſonali, & reali; & ideò ratione hujus mixtionis poſſet irritari, ut ſtatim dicemus numer. 22. nec eſſet opus confugere ad gubernationis domeſticæ damnum ex ea abſentia pullulans. Quid autem dicendum de voto peregrinationis in ſubſidium terræ ſanctæ, dicemus numer. 26. Secundum exemplum afferunt Abulenſ. Turrecrem. Roſella, Azor. ibidem. Quando filiusfamilias voveret abſtinentiam; quod benè intelligit Abulenſ. quando nimia eſſet; ita ut periculum morbi immineret. Inſuper intelligi debet eo modo, quem in voto jejunii ſtatim explicabimus. Tertium exemplum eſt votum jejuniorum. Ita Azor. & Leonard. ibidem. Addit autem Leonard. præſertim multorum, quaſi idem ſentiat de paucis jejuniis. Quod ita intelligendum cenſeo, quando jejunium etiam unius diei adſtringeret patrem ad parandos diverſos cibos à communibus domus; vel à filio elaborandum eſſet ita, ut labori obſtaret valde jejunium. Ceſſantibus autem his detrimentis, aut alio ſimili, non eſſet integrum patri id votum irritare, niſi eſſet multorum jejuniorum, quæ morbi periculum afferrent. Ut proximè diximus de voto abſtinentiæ. Et utrumque ſatis indicat Suarez eo c. 5. n. 4. dicens non poſſe patrem irritare votum abſtinentiæ, quæ nec vires ad convenientem laborem, pro ratione ſtatus minuat, nec domeſticum ordinem pertubet; & numer. 9. dicit, quando ſunt extraordinaria jejunia. Ultimum exemplum ſit, ſi filiusfamilias tot preces promitteret, ut impedimento eſſent obſequio paterno, aut ſtudio, cui vacat ex patris juſſu. Quia hoc patris poteſtati nocet, cum ejus ſi curare, ut filius ſtudio, aut alii operi ad vitam tranſigendam neceſſario incumbat. Et colligitur ex Suarez eodem numer. 4. quia idem dicit de hoc voto, & de voto abſtinentiæ.

18 Hinc deducitur, plura filiæfamilias puberis perſonalia vota poſſe irritari à patre, quàm filiifamilias puberis. Quia fœmina in pluribus eget cura paterna, quàm maſculus, & multæ peregrinationes dedecent filias, quæ filios decerent. Quare benè dicit Angles floribus 2. part. quæſt. unica de voto, articul. 7. poſt difficult. 12. in dubio 6. concluſ. 1. votum peregrinationis filiæfamilias poſſe à patre irritari. Quia non decet illam peregrinari, & noxium eſt curæ paternæ.

19 Hæc autem vota perſonalia, quæ ratione ſolius præjudicii patris poſſunt irritari, ſi diviſibilia ſint, nequeunt integrè irritari, ſed dumtaxat, quatenus patri nocent; ſecùs ſi ſint indiviſibilia. Ut in ſimili probavimus c. præcedenti num. 22.

20 Demum difficultas eſt, an hæc vota perſonalia irritari valeant directè; & proprie an potiùs ſit ſuſpenſio quædam, & ita ceſſante patria poteſtate reuiuiſcant? Aragon. 2. 2. q. 88. art. 9. col. ult. paulò ante verſiculum, Sed dubitabis aliquis, & Manuel. 2. tomo ſumm. c. 91. concl. 8. num. 9. ajunt probabile eſſe poſſe patrem irritare, aut ſaltem ſuſpendere, donec pubes ſit ſui juris. Sed Sayro clavi regia, lib. 6. c. 10. n. 24. dicit eſſe valde probabile poſſe patrem verè irritare. Et ita credo retenta noſtra ſententia, quam c. 26. n. 4. tenuimus contra alios relatos ibi n. 3. Quia hæc vota poſſunt irritari ratione conditionis in eis embibitæ, qua pendent ex conſenſu patris. Ut probavimus in hoc c. nu. 16. At quando imbibunt conditionem, poſſunt verè irritari, ita ut numquam reuiuiſcant. Ut probavi eo c. 26. in num. 4.

SUM-

SUMMARIUM.

An vota realia emiſſa à pubere minori poſſint à patre irritari? Et an reviviſcant ceſſante patris poteſtate? n. 21.
Quid de votis mixtis, ut peregrinationis? n. 22.
Quid, ſi ille habeat peculium caſtrenſe, vel quaſi? n. 23.
Quid, ſi votum reale accedat perſonali, ut bona ingreſſu religionis? num. 24.
Quid, ſi promittantur ea bona ſimul cum ingreſſu, vel ſub ejus conditione? num. 25.
Quid, ſi votum ſit eundi in ſubſidium terræ ſanctæ? n. 26.
Quid, ſi ſit eundi Romam, gratia abſolutionis caſus reſervati? num. 27.
An realia filiifamilias vota poſſint tantùm irritari à patre, quando ante vigeſimumquintum annum emiſſa ſunt? Refertur quædam ſententia, num. 28.
Explicatur ſententia Auctoris. Et remiſſivè, quid de curatore? num. 29.
An idem dicendum ſit de votis mixtis, & perſonalibus patriæ poteſtati præjudicantibus? num. 30.
An attento jure communi filius exeat patris poteſtate per matrimonium, & poſſit pater ejus vota realia irritare? n. 31.
Quid attento Caſtellæ regno? Proponuntur probantia poſſe irritare, num. 32.
Explicatur ſententia Auctoris. Et remiſſivè, quid de curatore; Et ſolvuntur contraria, num. 33.
Quid de votis realibus minoris, quovis alio modo emancipatis? num. 34.
Quid de minori ſacris ordinibus inſignito, habente aliqua bona poſt ordinem acquiſita? num. 35.
Quid, ſi ea bona non habeat, & an liberetur patris poteſtate ratione ordinis ſacri? Refertur quædam ſententia, numero 36.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 37.
An pater carens uſufructu adventitiorum filii, poſſit votum reale de illis emiſſum irritare? Proponuntur probantia non poſſe, numero 38.
Declaratur, quando eorum bonorum adminiſtratio ad patrem pertineat? num. 39. & 40.
Explicatur ſententia Auctoris circa poteſtatem ea vota irritandi, num. 41.
Quid, ſi adminiſtratio aduentitiorum auferatur patri, quòd illa dilapidet? Et cujus ſit tunc uſusfructus? n. 42.
Solvuntur argumenta, num. 43.
An patre profitente liberetur filius ejus poſtate? num. 44.
Quid per novitiatum patris, aut filii? num. 45.
An filius profeſſus eximatur patris poteſtate, & ejectus in illam redeat? num. 46.
An pater novitius poſſit vota filiifamilias irritare, aut quandò filius novitius eſt? num. 47.
An pater profeſſus poſſit filiorum vota irritare? num. 48.
Quid, ſi eiiciantur religione? num. 49.
Quid, ſi filius ſit profeſſus? num. 50.
Quid, ſi filius ille eiiciatur religione? num. 51.
Quid, ſi pater, aut filius ſint profeſſi in quovis ordine equitum militari? num. 52.
An pater ſervus, aut liber poſſit irritare vota filii ſervi, aut liberi? num. 53.
Quid, ſi uterque poſteà libertatem aſſequatur? num. 54.
Poſt num. 54. invenies omnia ſummaria, quæ deſunt,

21 QUæſtio tertia. Quæ vota realia, aut mixta, à puberibus emiſſa poſſint à patre irritari? Præmittam, quæ certiora ſunt, deinde difficultates aliquot diſcutiam. Hac in re conſtat apud omnes Doctores, vota realia à puberibus emiſſa ante vigeſimum quintum annum completum poſſe irritari à patre. Quòd ante eam ætatem careant bonorum adminiſtratione. Ut conſtat ex toto tit. ff. de minoribus vigintiquinque annis. Et quamuis nonnulli dicant, non eſſe veram irritationem, & ideò ceſſante patria poteſtate ea vota reuiuiſcere; quos retulimus c. 26. num. 3. At contarium probavimus ibi num. 4.

22 Atque idem dicendum eſt de votis mixtis, ut peregrinandi. Quòd eadem ratio ſit de illis, quatenus in illis admiſcetur aliquid reale, nempe, expenſæ, quibus illa peregrinatio eſt peragenda. Atque ita docent Alcozer ſumma c. 16. ubi de potentibus irritare, concl. 4. fol. 56. pag. 1. Angles floribus 2. part. quæſt. unica de voto, art. 7. poſt difficultatem 12. in dubio 8. concl. 3. Sayro in clavi regia, lib. 6. cap. 5. numer. 6. Llamas in methodo curationis 3. p. c. 4. §. 23. Et cenſent probabile Aragon. 2. 2. q. 88. art. 9. col. ultima, paulò ante verſic. Sed dubitabit aliquis, Et Manuel 2. tomo ſumm. cap. 91. concl. 8. n. 9. Ideò autem dicunt probabile, quia aliquantulum trepidant, an ſit vera irritatio, an ſola ſuſpenſio. Ut in ſimili retulimus ex ipſis num. 20. ſed dicendum eſt eſſe veram irritationem, & ideò vota non reuiuiſcere, ob rationem eo numero 20. traditam. Et quamvis Angles. ſtatim allegatus aliquantulum trepidarit, dicatque conſulendum huic voventi petere diſpenſationem; quia fortè tenebitur vouens hic mendicando peregrinari, denegatis itineris ſumptibus à patre, vel curatore. Non eſt tamen trepidandum, nec enim mendicare tenetur, niſi ad id tacitè, vel expreſsè ſe obligarit. Quare non approbo, quod dicunt Valentia 2. 2. diſput. 6. puncto 6. quæſt. ultima, columm. penultima, verſicul. Atque hoc totum, & Sayro in clavi regia, libro ſexto, c. 10. numero vigeſimo quarto, ubi ajunt votum peregrinationis non poſſe irritari à patre. Quòd principaliter ſit perſonale, & acceſſoriè reale. At acceſſorium ſequitur naturam principalis, regula Acceſſorium, de regul. juris in 6. Et referuntur pro ſe Navarrum ſumma cap. 2. numero 70. in fine, qui tamen id non dicit, ſed quos nos dicemus n. 24. Et illa regula intelligitur, niſi ſit diverſa utriuſque ratio. Eſt tamen hæc ſententia intelligenda, quando expenſæ illæ eſſent alicujus momenti. Ut benè ait Alcozer proximè citatus; & conferunt dicta numero 16. in fine. Inſuper, niſi ille vouerit ſumptibus alienis, aut emendicando peregrinari. Quia tunc non reputatur votum mixtum, utpote quod nullis eſt paternis ſumptibus exequendum. Conſulto autem dixi, ſi vouerit ſumptibus alienis, aut emendicando. Quippe nil refert ad minuendam hanc patris poteſtatem, ſi velit poſteà mendicans, aut alio miniſtrante ſumptus peregrinationem exequi. Quia hoc non vovit, & per accidens contingit, nec ob id votum mutat ſuam priſtinam naturam, qua à patris conſenſu pendebat, & ſubinde poterit ab illo irritari. Quando autem non poſſit irritari, eò quod mixtum ſit, conſulenda ſunt dicta num. decimo ſeptimo, ubi explicatum eſt, quando ratione patriæ poteſtatis irritari valeat eò quòd præjudicet.

23 Quadruplex autem votum excipi ſolet, quod ea minori ætate factum irritari nequit. Primum eſt, ſi filiusfamilias aliquid voueat de peculio ſuo caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi; id enim pater irritare non valet. Quòd filius reputetur in hujuſmodi peculio paterfamilias, ſitque omninò ſui juris. Ut conſtat ex l. 2. ff. ad Senat. Conſultum Macedonium, ibi Cum filiusfamilias in caſtrenſi peculio vice patrisfamilias fungatur. Ubi Gloſſa finalis ab omnibus recepta ait idem omninò eſſe in quaſi caſtrenſi. Quia ad effectum liberæ adminiſtrationis, & poteſtatem diſpenſandi, eſt idem de quaſi caſtrenſi, lib. Filiusfamilias, in fine, ff. de donat. lib. 3. §. Dari, ff. de bonorum poſſeſs. l. regia 6. & 7. titul. 17. part. 4. & latè probat Caldas l. Si curatorem, verbo Læſis num. 111. C. de in integr. reſtit. Et ideò hanc exceptionem tradunt Paludanus 4. diſt. 38. quæſt. 3. artic. 1. concluſione quarta, num. 8. & ibi Supplementum Gabrielis quæſt. 1. art. 5. verſic. 8. filiusfamilias, D. Antoninus 2. p. tit. 11. c. 2. §. 6. verſic. Tertiò filiusfamilias, Angelus in ſumma, verbo Votum 2. n. 5. Sylveſter verbo Votum 3. q. 6. Navar. ſumma Latina, & Hiſpana c. 12. n. 70. Abulenſis c. 30. Numerorum, q. 77. & 78. Gregor. Lopez lib. 3. verb. De edad, tit. 8. p. 1. Alcozer. ſumma c. 16. ubi de potentibus irritare, concluſione 4. fol. 56. pag. 1. Angles floribus 2. p. q. unica de voto, art. 7. poſt difficultatem 12. in dubio 8. Margarita confeſſorum, ubi de irritatione votorum, folio 135. pag. 1. Manuel 2. tomo ſummæ cap. 91. num. 3. Leonardus lib. 2. de juſtitia cap. 40. dub. 10. num. 81. Llamas methodo curationis 3. p. c. 4. §. 23. Corradus in ſuis reſponſis 1. p. qu. 308. Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. 5. num. 4. Sayro in clavi regia, lib. 6. cap. 5. num. 6. & cap. 10. num. 25. Philiarcus de officio ſacerdotis, tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 18. verſic. Quo ad vota filiorum, Petrus de Ledeſma 2. tom. ſumma tract. 10. cap. 7. dubio ultimo, dicto 5. in fine, Graffis 1. p. deciſionum, lib. 2. c. 26. nu. 6. & c. 29. nu. 6. Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de voti irritatione num. 1. Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 9. in difficultate, quam movet circa quartam concluſionem, Azor. tom. 1. inſtit. moralium, lib. 11. c. 17. q. 7. verſic. Animadvertendum tamen eſt. An verò hujuſmodi votum poſſit à curatore irritari, dicemus hoc eodem c. n. 64.

24 Secundum votum, quod pater irritare nequit, eſt, quando aliquid reale accedit in ſolam quamdam conſequentiam voto perſonali. Ut ſi minor pubes voveat religionem, nequit pater irritare, quamvis in conſequentiam ingreſſus ſuccedere debeat monaſterium in bona ingredientis, juxta auth. Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ. Atque ita docent Palud. 4. d. 38. q. 3. art. 1. nu. 9. concl. 5. D. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 6. verſic. Secundo pueri, Angelus verbo Votum 2. n. 7. Sylveſter verbo Votum 3. q. 5. & verbo Votum 4. q. 2. dicto 2. Navar. ſumma Latina c. 12. nu. 64. verſic. Tertiò præſupponimus, & n. 70. in fine, Hiſpana c. 12. n. 65. & 70. in fine, Margarita confeſſorum, ubi de irritatione votorum, fol. 134. pag. 1. in fine, Ovandus 4. d. 38. diſp. unica propoſitione 23. Sayro eodem lib. 6. c. 5. n. 6. & c. 10. n. 25. Graffis 1. p. deciſionum, lib. 2. c. 29. n. 6. Emmanuel Sà relatus num. præced. Ludov. Lopez 1. p. inſtructorii conſcientiæ c. 47. col. 3. verſic. Pater, & mater, & cap. 48. col. 4. verſic. Vota perſonalia. Hujus autem legitima ratio non eſt, quam tradit Sayro, nempè, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis. Sed quia hic alienandi modus eſt permiſſus minori, abſque aliquo parentum, aut curatorum conſenſu. Ut lib. 7. tractantes de voto paupertatis dicemus. Quod conſtat apertè, quia minor ex vi illius voti non tenetur bona religioni offerre, ſed poteſt ad libitum de illis diſponere, teſtamento, aut inter vivos; cum ſolùm religionis ingreſſum voverit, cui non neceſſario adnectitur ſucceſſio in bona ingredientis, ſed quando hic de illis non diſpoſuit ante profeſſionem. Et ideò nullatenus poteſt dici votum hoc reale, nec principaliter, nec acceſſoriè, ſed eſt merè perſonale. Inſuper id conſtat, quia ex vi hujus voti non adſtringitur vovens eligere religionem habentem jus ſuccedendi, ſed poteſt eo carentem ingredi, & ſic non ſuccedet in bona.

25 Ex quo deducitur, hoc votum non verè dici excipi

ctpi à votis realibus, quæ pater irritare nequit, cum ſit purè perſonale. Sed votum verè exceptum eſt, ſi ille minor pubes voverit expreſsè religionem, & ſimul ſua bona per profeſſionem illi dicanda, aut ſola bona ſub conditione, ſi in religione illa profeſſus fuerit. Quia hic modus diſponendi de bonis eſt illi permiſſus. Ut dixi *num. præc.* Item, quia etſi bona non promitteret, ſequuntur perſonam, & per profeſſionem ſuccedit in ea monaſterium, ipſo ingreſſo antea non diſponente de illis. At potuit voto ſe obligare ad non diſponendum, ut vel ſic religio ſuccedat.

26 Tertium votum exceptum eſt, eundi in ſubſidium terræ ſanctæ, quod non poſſe à patre irritari, ſolet probari ex *c. Ex multa de voto*, ubi datur licentia viro exequendi hujus voti invita uxore. At majus eſt præjudicium uxoris, quàm patris; ergo à fortiori poterit filiusfamilias id votum invito patre exequi. Et ita tradunt *Hoſtienſis ſumma, tit. de voto, §. Quis vovere poſſit n. 8. Abulenſis c. 30. Numerorum quæſtione 77. & 79. in fine, Supplementum Gabrielis 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. v. octavo filiusfamiliar. Henricus c. Scriptura, numero 5. de voto, Turrecrem. c. Sunt quædam 17. 1. numero quinto, Roſell. verbo Votum 2. numero 5. Sylveſter verbo Votum 3. quæſt. 6. Angelus verbo Votum 2. num. 5. Gregorius Lopez l. 3. verb. De edad, tit. 8. parte 1. Navarr. ſumma Hiſpana, & Latina c. 12. num. 70. Margarita confeſſorum, ubi de irritatione votorum, fol. 135. pag. 1. Manuel. 2. tom. ſumma, c. 91. num. 9. concluſione 8. in fine, Graffis 1. p. deciſionum, lib. 2. c. 29. num. 6.* Atque quamvis hæc exceptio ſit communis, nullo jure probatur. Quia cum textus id viro concedens in uxoris præjudicium ut à jure exorbitans, non eſt extendendus; ſicut nec extenditur ad ſervum, nec ad religioſum; eò vel maximè, quòd diſparitas ratio, filius enim eſt propriè ſubjectus patri, non ſic autem vir uxori, imò eſt ejus caput. Item vir habet adminiſtrationem familiæ, & magis eſt ſidit jus in eo voto exequendo cum fructu. Quare jure optimo *Suarez tomo 2. de religione tractatu de voto, lib. 6. c. 5. num. 11.* dicit hanc exceptionem eſſe dubiam. Et ideò optimè tria dicit. Primum eſt. Si id votum ſit peregrinationis cauſa ſolius devotionis, poteſt irritari à patre. Quia nec vir id votum exequi poteſt abſque uxoris conſenſu. Ut diximus *cap. præcedenti num. 24.* Secundum eſt. Si id votum ſit in terræ ſanctæ ſubſidium, idque expenſis parentis ſit faciendum, nullatenus poteſt abſque patris licentia impleri. Quia nullo jure conceditur filio diſponere de bonis paternis. Ultimum eſt, ſi ſubſidium illud eſſet tantùm perſonale, tunc forſan admitteretur exceptio dicta, non tamen ex jure humano, quàm ex naturali. Quia ratio boni communis præponderaret juri paterno.

27 Ultimum votum eſt, ſi pubes minor incidat in excommunicationem ſedi Apoſtolicæ reſervatam, & votum illuc eundi cauſa abſolutionis obtinendæ emittat, tunc à patre irritari nequit. Quod apertè probat textus in *c. relatum, de ſent. excomm.* ubi deciditur ſervum incidentem in ſimilem excommunicationem eſſe compellendum renitente domino ire Romam, niſi conſtiterit ſervum id in domini fraudem feciſſe. Et redditur ratio his verbis: *Cum plus ſit Deo, quàm hominibus deferendum.* Et ita tradunt *Hoſtienſis, Henricus, Abulenſis q. 77. Turrecr.* ubi nos *num. præc.* retuli. At exiſtimo id votum irritari poſſe, quando ratione Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii, poſſet ab inferiori abſolui. Quia ceſſat neceſſitas, quæ id jus concedebat.

28 His ergo tamquam certioribus præmiſſis; prima difficultas eſt, an ætas viginti quinque annorum ſit præſcripta, ut ulterius vota emiſſa à filiofamilias, quæ realia ſunt, irritari valeant à patre? De qua quæſtione egi *lib. 6. de matrimon. diſput. 39. num. 10.* & retuli multos Auctores eum ætatis limitem præſcribentes; & ultra ibi citatos, idem docent *Palud. 4. diſt. 38. q. 3. art. 1. concluſ. 5. num. 9. Toledo lib. 4. ſummæ c. 18. num. 7. Graffis 1. p. deciſionum, lib. 2. c. 26. num. 6. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 5. numer. 6. Leonard. lib. 2. de juſt. cap. 40. dubio 20. num. 81. Boja in ſuis reſponſis 1. p. in caſu 49. verſic. Advertendum tamen, Llamas methodo curationis p. 3. c. 4. §. 23.*

29 Cæterùm ibi probaui (quod & nunc approbo) poſſe patrem irritare vota realia filiifamilias in quacumque ætate ea emittat, & ita ſola poſt ejus emancipationem emiſſa non ſubdi huic irritationi. Quippe (ut ibi probavi) ratione ætatis non eximitur filius à patris poteſtate, nec perdit pater uſumfructum, & adminiſtrationem bonorum adventitiorum, nec poteſt filius inconſulto patre ea alienare, aut de eis diſponere. Quæ eſt ratio poteſtatis paternæ ad hujuſmodi vota irritanda. Cujus ſententiæ ſunt apertè *Innocent. c. Scriptura, num. 3. verſic. Sed nobis, de voto, & ibi Joannes Andreas num. 4. Antonius num. 4. verſic. Secundo modo. Hoſtienſis num. 7. Card. num. 6. quæſt. 12.* ubi dicunt vota puberum poſſe irritari à patre, dum ſub ejus poteſtate manſerint. Et clarè ſentit *Tabiena verbo Votum 5. q. 5. num. 6.* ubi hæc ait: *Vota realia puberum, quouſque ſunt in patria poteſtate, non ſunt rata.* Et videtur tenere *Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tract. 10. c. 7. dubio ultimo,* & ſ. ubi ait poſſe patrem horum vota irritare ante viginti annos emiſſa, vel antequam patris poteſtate liberentur. Et tenet tamquam valdeprobabile, dicitque ita ſentire aliquos Neotericos doctos, *Vivaldus in candelabro ſacrament. 3. p. c. 14. num. 92.* & tenet noviſſimè allegans *Leonard. lib. 3. de juſt. c. 42. dubio 12. num. 61. verſicul. De juramentis.* Et idem tenet *Suarez t. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. c. 5. num. 12.* An autem idem dicendum ſit de curatore dicemus *hoc eodem c. num. 65.*

30 Atque idem prorſus dicendum eſt de votis mixtis, & de votis perſonalibus puberum patriæ poteſtati præjudicantibus. Quippe priora poſſe irritari inſtar votorum realium, probavimus *nu.* 21. Poſteriora autem ratione præjudicii patriæ poteſtatis, ut probavimus *n.* 16. quæ cum adhuc duret, nequit ipſi præjudicari.

31 Secunda difficultas eſt, an patri integrum ſit irritare vota realia emiſſa à filio pubere minori viginti que annis, conjugato tamen, receptiſque Eccleſiæ benedictionibus, aut alias emancipato? Ad intelligendam dubitandi rationem, oportet præmittere attento jure communi filium non eximi patria poteſtate, ratione contractus matrimonii, nec impedire acquiſitionem uſusfructus patri. Conſtat ex *l. 1. & 2. C. de bonis quæ liberis, & l. Si uxor, C. de condit. inſertis.* Et multis allegatis probat *Caldas l. Si curatorem, verbo Læſis nu. 138. C. de in integr. reſtit.* Atque ita ubi jus commune non eſt contrario uſu, aut lege ſpeciali regni correctum, ſed viget, poterit pater irritare ejuſmodi filii vota realia, donec ſua poteſtate per emancipationem exeat. Sicut de realibus aliorum filiorumfamilias votis diximus.

32 At ſpecialis difficultas eſt, attento hujus Caſtellæ regno, quo cavetur filium per matrimonium receptis Eccleſiæ benedictionibus eximi patria poteſtate, & in poſterum ejus eſſe uſumfructum adventitiorum bonorum hactens acquiſitorum, & in poſterum acquirendorum. Ut conſtat ex *l. regia 47. & 48. Tauri, quæ hodie ſunt lib. 8. & 9. tit. 1. lib. 5. novæ recopilat.*. Et ſimilis eſt difficultas in omnibus illis regnis, in quibus, uſu; aut peculiari lege eſt idem introductum. Et videtur adhuc eſſe patri integrum, ea realia vota irritare. Quod exemptio hæc à patris poteſtate ratione matrimonii ſit in iis ſolis, quæ in ipſius filii favorem cedunt; non verò in ei noxiis. Ut cum aliis tradunt *Suarez lib. 1. legum fori tit. 11. de los pleitos lib. 9. n. 26. verſic. Conſidera ultra, Meres de majoratu in 1. editione 4. part. quæſt. 1. limit. numer. 5.* At ſi pater non poſſet irritare hujuſmodi vota, exemptio cederet in filii damnum; quippe non haberet, qui ſibi in his votis proſpiceret. Secundò, quia ratio hujus poteſtatis irritandi videtur eſſe propter fragile, & infirmum minoris judicium, multiſque captionibus ſuppoſitum. Sicut ob eamdem rationem eis non conceditur bonorum adminiſtratio, & reſtitutionis beneficio gaudent, ut inquit textus; *lib. 1. ff. de minoribus.* At hæc fragilitas non tollitur contractu matrimonii; & ideò minori conjugato competit quoque beneficium reſtitutionis, ſecundum omnes. Ergo non ceſſat poteſtas irritandi illius vota. Tandem, quia ratio poteſtatis irritandi illius vota non eſt patria poteſtas, nec uſusfructus patri acquiſitus, utroque enim caret curator, & tamen poteſt vota realia puberis minoris irritare. Non ergo obſtat poteſtati patriæ ad irritandum, ceſſare per matrimonium patriam poteſtatem, & uſumfructum.

33 At prorſus dicendum eſt, vota realia filii conjugati emiſſa, antequam Eccleſiæ benedictiones recipiat, poſſe à patre irritari, ſecùs de emiſſis poſteà. Ducor, quia vota emiſſa à minori jam emancipato, & ſubinde extra patriam poteſtatem conſtituto, nequit pater irritare. Ut tradunt *Palud. 4. d. 38. q. 3. art. 1. numer. 8. & 9. concl. 4. & 5. D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6. verſic. Secundò pueri, Sylv. verbo Votum 4. q. 2. dicto 2. Tabiena verbo Votum 5. q. 5. numer. 6. Sotu: lib. 4. de juſt. q. 3. articul. 2. in fine corporis. Ovandus 4. d. 38. diſp. unica, in propoſitione 23. Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. 5. numer. 1. & 12.* Et quamvis *Gloſſa c. Mulier, verb. In domo 32. q. 2.* videatur dicere oppoſitum, illam explicui *num.* 11. Sed hic filius ſit emancipatus, & extra patriam poteſtatem in hoc regno per contractum matrimonii receptis Eccleſiæ benedictionibus, non antea. Ut *num. præcedenti* probaui. Ergo vota ante illas emiſſa poſſunt irritari, non autem poſteà facta. Secundò, quia ratio poteſtatis paternæ ad irritanda realia vota filii, non eſt imbecille minoris judicium; nam vota ejus perſonalia eodem quoque vitio laborant, & ſimiliter vota realia de peculio caſtrenſi, vel quaſi: & ideò ratione hujus imbecillis judicii datur beneficium reſtitutionis circa hujuſmodi peculium. Ut cum aliis probat *Caldas l. Si curatorem, verbo Implorare à n. 38. C. de in integrum reſtit.* Et tamen neutrius generis vota poteſt pater irritare. Sed ea eſt hujus poteſtatis ratio, quòd adminiſtratio bonorum filii adventitiorum non concedatur filio nondum emancipato, ſed ipſi patri; atque ideò nequit pater irritare votum de peculio caſtrenſi, vel quaſi; quòd hujus adminiſtratio pertineat ad filium. At quoties filius egreditur patriam poteſtatem, ac ſubinde emancipatus efficitur, ceſſat paterna bonorum filii adminiſtratio. Ergo ceſſat quoque irritandi poteſtas. Tandem quia non obſtant contraria *num. præcedenti* adducta. Nam ad primum dico, eam doctrinam adverſari communi ſententiæ; contrariam enim tenent multi, quos referunt, & ſequuntur *Gratum. regula 199. num. 2. Matienzo libro 5. recopil. tit. 1. lib. 8. Gloſſa 3. numer. 1. Azevedo ea lib. 8. lib. 50.* Sed data ejus doctrinæ veritate, nil ea facit contra hanc ſententiam, eò quòd ratio hujus poteſtatis non ſit præcisè patria poteſtas, ſed adminiſtratio bonorum ratione illius ad patrem pertinens, quæ prorſus ceſſat matrimonio, receptis Eccleſiæ be-

ſiæ be-

ſiæ benedictionibus. Ad ſecundum negatur, eam eſſe rationem, ut probaui in ſecunda ratione. Ad ultimum fateor, non eſſe præciſam rationem patriam poteſtatem, nec uſumfructum, ſed ratio eſt adminiſtratio bonorum, quæ emancipatione tranſit ad filium. Et ideò pro hac ſententia ſunt Doctores, quos in priori ratione hujus ſententiæ retuli. Et in propriis terminis tenet *Suarez eodem c. 5. n.* 12. An verò idem dicendum ſit de curatore dicemus *n.* 66.

34 Ex quo deducitur, idem prorſus dicendum eſſe de votis realibus emiſſis à filio pubere minore, quovis alio modo emancipato. Quia ſimiliter liberatur patria poteſtate, nec deinceps competit patri adminiſtratio bonorum. Conſtat ex Auctoribus citatis *n. præced.* in priori ratione.

35 Tertia difficultas. An patri integrum ſit irritare vota realia filii ſacris ordinibus inſigniti eodem pacto, quo aliorum filiorumfamilias? Nec agimus de bonis poſt clericatum acquiſitis, quæ aliàs eſſent adventitia, nam ſi quæ hujuſmodi bona habeat ſunt in ipſo quaſi caſtrenſia, & ſic votum de illis emiſſum nequibit pater irritare. Quia nullius filii puberis vota de his bonis quaſi caſtrenſibus facta poſſunt irritari.

36 Sed difficultas eſt de aliis bonis. Quidam aſſerunt ratione ordinis ſacri filium eximi patria poteſtate, & emancipatum fieri, ac ſubinde ex eorum ſententia deducitur, vota realia poſt ordinem ſacrum a filio emiſſa non poſſe à patre irritari. Ducuntur, quòd dignitas ſacri ordinis longè excedat quaſcumque dignitates ſæculares. At undecim ſunt ſæculares, per quas filius liberatur patria poteſtate, quæ enumerantur *lib. finali. C. de decurionibus, lib. 6. & lib. regia 7. uſque ad 14. tit. 18. part. 4.* Ergo à fortiori id ordini ſacro eſt tribuendum. Et ita ſentiunt *Gloſſa c. Indecorum, verb. Qui ſe ipſos, de ætate, & qualitate*: Et *c. 1. verb. Magiſtris 25. q. 2. Sylu. & Armilla, verb. Patria poteſtas, ſtatim in principio.*

37 Cæterùm abſque dubio tenendum eſt per ſacros ordines etiam presbyteratus, non egredi filium patria poteſtate. Quod conſtat ex *auct. presbyteros, l. 1. C. de Epiſcopus, & clericis*, ubi conceditur quibuſcumque presbyteris, & clericis teſtari, & inter vivos diſponere de bonis poſt clericatum acquiſitis; & ſubduntur hæc verba: *Licèt ſub parentum poteſtate ſint.* Item, quia tamquam quid ſpeciale decernitur *c. Per venerabilem paulò poſt principium qui filii ſint legitimi, & authent. Sed Epiſcopalis dignitas, C. de Epiſcop. & cleric. & l. regia 14. tit. 18. p. 4.* eximi filium patria poteſtate per dignitatem Epiſcopalem. Ergo id ordini inferiori tribuendum non eſt. Tandem, quia exemptio hæc nullo jure ſtatuitur, ac caret fundamento eam ſacerdotio tribui ex eo, quod dignitatibus minoribus jure tribuatur. Quia cum hæc pendeant ex jure poſitivo, poteſt hoc aliquid minùs digno, & non digniori tribuere. Et ideò hanc partem ſuſtinent *Innoc. c. Indecorum n. 3. de ætat. & qual. & ibi Hoſtienſ. num. 4. Joann. Andr. nu. 13. Anton. n. 8. Abbas numer. ultimo, Cardin. paulò ante finem, Anchar. n. 2. Idem Abbas in rubrica de peculio clericorum num. 2. Sylu. verb. Peculium 1. qu. 2. in fine, Tabiena verb. Peculium n. 2. quæſt. 1. & ibi Roſella numer. 10. Montaluus l. 14. in initio tit. 18. part. 4. & ibi Greg. Lopez verb. Para Obiſpo, & l. 4. verb. En cuyo, ad finem tit. 15. ead. par. Bernardus Diaz* multo allegans *in practica canonica, in noua editione c. 132. n. 6. Couarr. c. Quia nos, n. 5. de teſt. Anton Gomez l. 48. Tauri n. 7. Perez lib. 1. ordinamenti tit. 3. lib. 1. verſic. Clericus præterea, Gutierez §. ſui nu. 7. inſtit. de hæredum qualit. & differ. Molina tom. 1. de juſt. diſp. 229. column. 4. in 6. modo exemptionis à patria poteſtate.* Quare hac veriſſima ſententia retenta, dicendum eſt nil diſcriminis eſſe inter filios presbyteros, & reliquos filiosfamilias, quo ad realia eorum vota irritandi poteſtatem patri competentem.

38 Quarta difficultas. An quando patri non competit uſusfructus peculii adventitii filiifamilias, poſſit pater realia de illo vota facta iritare? Et videtur pars necans. Quòd hujuſmodi peculium æquiparetur quaſi caſtrenſi, *l. Imperator. 50. ff. ad Trebellan.* ibi *In ea hæreditate filio militi comparari debuit.* Et docet *Caldas lib. Si curatorem, verbo Læſis num. 147. C. de integrum reſtit.* & cum in *l. regia ſexta tit. 11. part. 5.* diſponatur non poſſe conſiſtere promiſſionem inter patrem, & filiumfamilias, niſi de peculio caſtrenſi, vel quaſi, *Greg. Lopez ibi verb. Caſtrenſe*, ait idem dicendum de adventitiis, in quibus pater non habet uſumfructum. Ergo ſicut pater nequit irritare realia filii vota de peculio caſtrenſi, vel quaſi facta, ita nequibit vota de hoc adventitio. Secundò, quia filiusfamilias abſque patris conſenſu poteſt hujuſmodi bona alienare inter vivos, & contractus inire. *Auth. Ut liceat matri, & avia, in principio, verſic. Res autem*, & tradunt *Bartol. Paulus, Jaſon, Aymon, & alii*, quos referunt, & ſequuntur *Covarr. rub. de teſtam. 3. p. nu. 9. Mol. de primog. c. 9. n. 16. Caldas eodem verb. Læſis nu. 152. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 10. lib. 7. gloſſ. 2. nu. 28. Molina Societatis Jeſu tomo 3. de juſtit. parte 1. diſput. 603. num. 3. verſic. De bonis verò adventitiis.* Cum ergo diſpoſitio honorum bonorum non pendeat ex patris conſenſu, nec vota ex illo pendebunt, ſed firma erunt facta de his bonis.

19 Deciſio hujus difficultatis pendet ex ea, cui adminiſtratio horum bonorum incumbat. In qua ſic diſtinguendum eſt. Si uſusfructus eorum non competat patri ex diſpoſitione relinquentis ea bona filio, qui ſub ea conditione relinquat; adminiſtratio non competit patri; ſed ſi filius tunc ſit minor: debet ei dari curator. Et ratio eſt, quia tunc ſuſpectus habetur pater à lege, & à relinquente ſub ea conditione. Conſtat ex *authent. Ut liceat matri, & aviæ, in principio, verſ. Res autem* ibi: *Res autem ita relictas, ſive donatas poſitis ſub poteſtate perſonis, ſiquidem perfectæ ſunt ætatis, licèt ſub poteſtate ſint, licentiam habeant, quo volunt modo diſponere; ſi verò ætate minores ſunt, per quem perſpexerit teſtator, aut donator gubernentur, donec illi ad perfectam ætatem veniant.* Et paulò inferiùs: *Si verò, qui relinquit, aut donat, nullum his diſpenſatorem ordinaverit, aut ab eo datus hanc gubernationem ſubire noluerit, aut moriatur, antequam illi perfectæ fiant ætatis, jubemus judicem competentem curatorem fide dignum, cum legitima fidejuſſione, rebus talibus ordinare.* Atque ita docent *Gloſſa authen. Excipitur, verbo Perveniat, C. donis quæ liber. & ibi Paulus n. 3. Salicetus n. unico*, & alii quos latiùs probans, refert, & ſequitur *Caldas l. Si curatorem, verbo Læſis n. 147. C. de integr. reſt.* & tenet etiam *Riminaldus §. 1. n. 101. inſtituta per quas perſonas.*

40 Si verò uſusfructus ad filium pertineat ex ejus renuntiatione à patre facta, adminiſtrationem legitimam retinebit pater, ſi velit; quòd ſi nolit, dabitur curator. Conſtat ex *l. finali, §. Sin autem in ſecunda, ætate, verſic. Sin autem patre recuſante, C. de bonis, quæ liberis*, ibi *Nolente autem patre res filii gubernare propter cauſæ neceſſitatem habeat facultatem filius adire competentem judicem, & ab eo petere curatorem.* Et ita docent ſic concordantes hunc textum cum textu, quem *n. præced.* retuli, *Salicetus, Caldas, & Riminaldus ibidem* citati.

41 Ex his deducitur ſolutio præſentis difficultatis. Si enim adminiſtratio bonorum adventitiorum, in quibus pater non habeat uſumfructum, pertineat ad patrem, juxta dicta *n. præced.* & illam pater retineat, poterit irritare vota realia de illis emiſſa tempore minoris ætatis: ſecùs de emiſſis ea tranſacta, quando jam filius major effectus ea vovit. Quia tempore ſolius minoris ætatis denegatur eorum bonorum adminiſtratio filio. Ut conſtat ex *aucrent. Ut liceat matri, & aviæ, in principio, verſ. Res autem* Si verò adminiſtratio non competat patri, aut quia lege illi aufertur, ut in caſu declarato *n.* 39. aut quia eam reſpuit, ut in caſu declarato *n. præced.* tunc nequibit pater irritare vota de his facta, ſed id incumbet curatori. Quia tunc in ea bona nil prorſus pater habet.

42 Ex quo infertur, ſublata bonorum adventitiorum adminiſtratione patri, quamvis in eis uſque tunc uſumfructum habuerit, eò quòd illa dilapidat, nequire patrem irritare de illis emiſſa vota, ſed id pertinere ad curatorem illi filio minori datum. Ducor, quia nil in poſterum habebit pater ex eis bonis, præter ſola alimenta, ſi egenus ſit; quæ ex illorum fructibus deducenda ſunt; ſed deinceps uſusfructus erit filii, adminiſtratio autem curatoris. Ut apertè colligitur ex *lib. Imperator 50. ff. ad Trebell. & ex lib. regia 2. tit. 2. part. 3.* Et docent cum *Paulo ea l. Imperator. Greg. Lopez ea l. 2. verb. Lo que fuere; & Molina to. 1. de juſtit. diſp. 228. col. 2. Quidam alii caſus.* Ergo non poterit pater irritare ea vota.

43 Ad argumenta contraria propoſita *num.* 38. reſpondetur. Ad primum dico utrumque peculium in aliquo convenire; at in aliis differre. Ut poteſt videri in *Caldas eol. Si curatorem, verb. Læſis num. 147. & 152.* & quo ad præſens attinet, differunt. Quia filiusfamilias reputatur quaſi paterfamilias, quo ad peculium caſtrenſe, vel quaſi, & ſic ea adminiſtrat; ſecùs de adventitiis, quorum uſufructu gaudet. Quia vel pater, vel curator habent eorum adminiſtrationem, donec filius efficiatur major. Ut probavi *num. 39. & 40.* Ad ſecundum dic ea intelligi; quando filiusfamilias habet eorum bonorum adminiſtrationem, quia vel eſt jam major, vel ſibi relicta eſt adminiſtratio; ſecùs ubi hæc non reperiuntur.

44 Quinta difficultas. An pater novitius, aut profeſſus etiam in militari equitum ordine, poſſit irritare vota filii, aut è contra, ſi filius ſit novitius aut profeſſus? Ad hujus deciſionem obſervare oportet per profeſſionem patris eximi filium ab ejus poteſtate. Cujus ratio eſt, quòd pater profitens tranſeat in Abbatis poteſtatem, nec ſui juris maneat, & ideò nequit alium in ſua poteſtate habere, Conſtat ex *l. Sic eveniet 21. ff. ad l. Juliam de adult.* ibi: *Sic eveniet, ut nec pater, nec avus poſſint occidere; nec immeritò. In ſua enim poteſtate non videtur habere, qui non eſt ſuæ poteſtatis.* Nam aliàs dicendum quoque eſſet filios transferri quoque in Abbatis poteſtatem. Et ita tradunt, *Speculator, tit. de ſtatu monachorum, §. unico num. 60. num. 54. Et ibi Ioann. Andr. in addit. lit. C. verb. adſtringere, Bart. Bald. Abbas, Guillelmus de Cuneo, Fulgoſ. Salicet. Alberic. Decius, Matheſillanus*, quos contra alios per eum relatos, citat, & ſequitur *Coſta, cap. Si pater 2. parte verb. Teſtatore mortuo num. 11. de teſtam. in 6. Covarr. c. 2. num. 8. de teſtam. Molina tom. 1. de juſtit. diſp. 229. in ſeptimo modo egrediendi à patria poteſtate.*

44 Imò *Rebellus tractatu de juſtitia parte 2. lib. 1. q. 8. ſect. 6. n. 63. & 64.* ait eximi filium à poteſtate patris novitii: at patre egrediente redire filium in illam: & idem diceret loquendo conſequenter, quando filius ſolus eſſet novitius. At neutrum credo; eò quòd nullo jure probetur, nec alicui fundamento ſolido innitatur. Quia tempore novitiatus, nondum pater, aut filius, in prælati poteſtatem tranſiere,

et vel ſic deſinat pater nouitius filium in ſua poteſtate habere, aut filius nouitius deſinat in ea eſſe.

46 Secundò præmittere oportet, filium quoque per ſuam profeſſionem, eximi à patris poteſtate, utpote qui in Abbatis poteſtatem tranſit. Quòd latè probabimus *lib. ſequenti* tractantes de privilegiis profeſſionis.

47 Prima concluſio ſit. Pater dum eſt nouitius, poteſt irritare vota filii manentis in ſæculo, & ſimiliter pater id poteſt, ſi filius ſit nouitius, eodem prorſus modo, quo ſi pater eſſet in ſæculo, & filius quoque. Quia per netrius nouitiatum amittitur aliquid patriæ poteſtatis, aut juris in filios. Quæ ratio idem probat exiſtente utroque nouitio.

48 Secunda concluſio. Pater profeſſus nequit ulla filij, ſiue puberis, ſiue impuberis vota irritare. Quia nec patriam poteſtatem, nec aliquam filij curam retinet; ſed ea tota tranſit in curatorem, & tutorem, ſi eos filius habeat, aut in matrem; & ſi his omnibus careat, erit ſui juris.

49 Tertia concluſio. Si pater profeſſus ejiciatur omnino religione, nequibit irritare vota emiſſa ab illo filio, ſiue ante profeſſionem, ſiue poſt illam. Quia cum deſinat eſſe profeſſus, nil deperditum acquirit.

50 Quarta concluſio. Nec filij profeſſi poteſt pater ulla vota irritare. Quòd ſit omnino extra ſuam curam, & poteſtatem.

51 Quinta concluſio. Si filius profeſſus ejicitur religione, nequit pater ulla ejus vota irritare, ſiue in religione, ſiue poteſt ejectionem emiſſa. Quia non redit in ſuam poteſtatem.

52 Ultima concluſio. Equites profeſſi in quocumque ordine militari poſſunt irritare vota filiorum, perinde ac ſi profeſſi non eſſent, & ſimiliter, quando ipſi filii in eo ordine profeſſi ſunt. Quia pater in quocumque eo ordine profeſſus, ita in ſæculo manet, ut retineat curam filiorum, & bonorum adminiſtrationem, ac patriam poteſtatem, & ſimiliter, quando filius eſt profeſſus. Ut experientia conſtat.

53 Poſtrema difficultas. An pater ſeruus poſſit irritare uota filij ſervi? Ratio dubitandi eſt, quia quando pater eſt ſeruus, cum ſit ipſe in domini poteſtate, nequit filium ſiue ſervum ſiue liberum in ſua poteſtate habere. Ut benè inquit *Gloſſa c. unico, verb. Aui* 32. *quæſt.* 3. Quando autem filius eſt ſeruus, & pater liber, cum filius ſit ſub domini poteſtate, nequit eſſe quoque ſub patria. *Sayro in claui regia, lib. 6. cap. 10. num. 18. in fine, & Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, l. 6. c. 6. nu.* 23. ſupponunt patrem irritare poſſe vota filij impuberis ſervi; quærunt enim, an quando parentibus orbatus eſt, poſſit dominus; nec diſtinguunt, an pater ſit ſeruus, an liber. Et placet quidem, & ſiue pater ſit liber, ſit ſeruus, poteſt irritare vota filij impuberis, ſive ſerui, ſiue liberi, quando filius liber tutore caret. Quia etſi civilem poteſtatem non habeat ſeruus in filium liberum, aut ſeruum, nec liber in filium ſeruum, habet tamen naturalem, ut imbecillitati illius teneræ ætatis conſulat. At realia filij puberis vota in neutro caſu poterit irritare. Quia nullam bonorum filij ſerui, aut liberi pater ſervus adminiſtrationem habet, nec pater liber bonorum filij ſervi.

54 Quòd ſi poſtea uterque libertatem conſequatur, pater ſe habebit reſpectu votorum realium à filio pubere ſeruo tempore ſeruitutis emiſſorum, aut libero carente tunc curatore, ſicut ſe habet ſuperior ad vota emiſſa ante omnem ſubjectionem, aut quando emiſſa ſunt tempore alterius moraliter poteſtatis. Quia ſi filius erat liber, & curatore carens, nulli erat ſubjectus, quo ad vota; ſi autem erat ſervus, pendebat à poteſtate domini, a qua eſt diuerſa moraliter paterna. Et ideò in neutro caſu poterit pater verè irritare, ſed tantùm ſuſpendere, quatenus ſibi nocent. Sicut quando eſt diverſa moraliter poteſtas, probavimus *c. 28. n. 5.* & quando ante ſubjectionem emiſſa ſunt, probavimus *c. 31. n. 2. & 6.* Si verò filius illo liber tempore voti emiſſi habebat curatorm, poterit pater verè irritare. Quia ſuccedit in eamdem moraliter poteſtatem. At vota realia poſt utriuſque libertatem emiſſa ſubjacebunt poteſtati paternæ.

SUMMARIUM.

Quo diſtent officium tutoris, & curatoris? Et quando finiantur? Remiſſuè, n. 55.

An minore impetrante veniam ætatis ceſſet curatoris officium, & concedatur beneficium reſtitutionis? n. 56.

An attento jure comuni finiatur officium curatoris, minore ineunte matrimonium? n. 57.

Quid attento hujus regni jure? Refertur quædam ſententia, num. 58.

Explicantur aliquot leges regiæ, & ſententia Auctoris; ac ſolvuntur contraria, n. 59.

Tutor an poſſit omnia impuberum vota irritare, ſicut & pater; n. 60.

An curator poſſit irritare veta realia, & mixſta minoris; etiam quando peregrinatio eſt in ſubſidium terræ ſanctæ, aut pro neceſſaria abſolutione, aut quando bona cedunt in conſequentiam voti perſonalis? n. 61.

Quid, ſi votum minoris ſit juramento confirmatum? n. 62.

Quid, ſi votum minoris ſit de peculio caſtrenſi, vel quaſi? Proponuntur probantia non poſſe, n. 63.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 64.

An poſſit curator irritare vota minoris, qui veniam ætatis impetravit, aut quæ emittit poſt vigeſimum quintum annum? n. 65.

Quid de emiſſis poſt matrimonium, aut emancipationem? n. 66.

An quando adminiſtratio bonorum aufertur patri, quod ea dilapidet, aut quòd non habent uſufructum in eis, poſſit curator irritare vota? n. 67.

An curator datus majoris ratione prodigalitatis poſſit ejus vota irritare? n. 68.

An poſſit curator irritare vota perſonalia minoris, præjudicantia gubernationi domeſticæ? n. 69.

Si plures ſint tutores, aut curatores ejuſdem, an poſſit quilibet irritare? n. 70.

An ſi duo irritent, & alter ſit falſus, valeat irritatio? n. 71.

An vota irritata à tutore, vel curatore reuiuiſcant? n. 72.

An mater tutrix, aut curatrix filiorum poſſit eorum vota irritare? n. 73.

Quid, ſi non ſit? Refertur triplex ſententia, n. 74. 75. & 76.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 77. 78. 79. & 80.

An id poſſint aui & auiæ, & reliqui aſcendentes? n. 81.

Quis poſſit irritare vota filiorum illegitimorum? n. 82.

An poſſit herus, magiſter, confeſſarius, dominus ſervi impububeris, parentibus, & tutore carentis, & nutrius expoſiti vota irritare? Refertur quædam opinio. n. 83.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 84.

An impubes, aut minor reſtitui poſſit adverſùs votum? Refertur quædam ſententia, n. 85.

Explicatur ſententia Auctoris, & quomodo reſtituatur adverſus opus pium? n. 86.

55 QUæſtio ultima. Quibus competat facultas irritandi vota impuberum, aut puberum? Et de patre ſatis hucuſque diximus, præterquam reſpectu filiorum illegitimorum; de qua re dicemus *numer.* 82. Supereſt de aliis, ut de tutore, curatore, & matre tractare. Ad cujus intelligentiam oportet præmittere diſcrimen inter tutorem, & curatorem, quod tradidimus *cap.* 30. *num.* 6. ubi etiam probauimus tutelam finiri ipſo jure, ſtatim, ac pubertas completur, ideſt quando fœmina complet duodecimum annum, & vir decimum quartum; officium autem curatoris, ſtatim, ac uterque complet vigeſimum quintum annum.

56 Excipe, niſi minor veniam ætatis legitimæ à principe impetret; ex tunc enim liberatur omnino curatoris poteſtate. Quippe id perinde eſt, ac majorem effici, & ex tunc non gaudet reſtitutionis beneficio. Ut notatur *l. 1. & 2. C. de his qui veniam ætatis*. Et traduc *Gloſſa inſtituta De curator. in principio, verbo Viceſimum, Antonius Gomez 2. tom. variarum c. 14. num. 12. Parlador. de rebus quotidianis, lib. 1. c. 12. in fine*. Quare tamquam major nequit ex contractu poſt eam veniam impetratam inito petere reſtitutionem. Ut benè probat cum aliis *Antonius Gomez ibi*.

57 At ſatis controverſum eſt, an contracto matrimonio à minori finiatur curatori officium. Et quidem attento jure communi nequaquam finitur. Quod probat textus, *lib. 1. ſtatim in principio, ff. de minoribus*, ubi cum in *lib. 1. in fine* dixiſſet juriſconſultus, adoleſcentes uſque ad vigeſimum quintum annum regi curatorum auxilio, *lex 2.* ſtatim ſic incipit: *Nec per liberos ſuos rem ſuam maturiùs à curatoribus recipiant*. Ubi *Gloſſa verb. Rem ſuam*, explicat, ideſt, *rerum ſuarum adminiſtrationem*. At manifeſtum eſt non loqui textum de liberis illegitimis; nec enim de hoc ulla poterat eſſe difficultas, nec eos textus liberos appellaret, ſed loquitur de habitis de legitimo matrimonio. Non ergo ceſſat curatoris officium matrimonio minoris. Idem probatur ex *l. Non eò minùs 14. C. de procurator.* ibi: *Minor viginti quinque annis cauſam ſuam marito ſine curatore agendam mandavit*. Ubi *Gloſſa verb. ſine curatore*, explicat, *Auctore*. Ergo minor illa conjugata non liberabatur curatore. Idemque ratione conſtat. Nam minoribus datur curato, eò quò rebus ſuis ſufficere nequeant, *lib. 1. ff. de minoribus*. Quæ ratio fortiùs in minori conjugato militat, utpote, qui urgentioribus curis implicatur. Atque ita docent *Paulus l. 2. num. 2. C. Si ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur*; & *Parlador.* dicens carere hoc magna difficultate *tractatu de rebus quotidianis, lib. 1. c. 12. num. 1. & 2.*

58 Controverſia autem eſt, quid attento hujus Caſtellæ regni jure cenſendum ſit. Duplex eſt opinio. Prior ait, ceſſare curatoris officium minoris matrimonio, receptiſque ab illo benedictionibus Eccleſiæ. Ducuntur ex *l. 6. tit. 17. p. 7.* ibi: *El huerfano deſpués que es caſado trae ſu muger à ſu caſa, e no recibe embargo ninguno en demandar cuenta à ſu guardador de todos ſus bienes.* At ſolùm finito officio tenetur curator rationem reddere, *l. Rationes, C. de adminiſtration. tutor. l. niſi finita §. finali, ff. de tutel. & ration. diſtrahen.* Secundò ex *l. regia 3. tit. 15. part. 2.* ibi; *Faſta que ſea caſada*, ubi diſponitur filiam in regnum ſuccedentem debere eſſe ſub curatoris poteſtate, donec nubat. Ergo à nuptiarum tempore eximitur. Nam dictio excluſiua, *Faſta que* caſum contrarium excludit. Tertiò, ex *l. regia 47. Tauri, hodie l. 8. tit. 1. lib. 5. nova recopilat.* ibi; *En todas las caſas*. Ubi decernitur filiumfamilias per matrimonium cum Eccleſiæ benedictionibus, haberi in omnibus tamquam emancipatum. Ergo talis habebitur in exemptione à curatoris poteſtate. Et confirmatur, quia cum à patris poteſtate penitus tunc eximatur, quæ fortior eſt à fortiori eximetur à debiliori curatoris. Et ideò hujus ſententiæ videtur *Gregor. Lopez lib. 9. verbum Llamar. tit. 1. part. 2.* ubi cum dicat textum *lib. 3. tit. 15. eadem part. 2.* ibi, *Faſta que ſea caſada*, innuere à contrario ſenſu adminiſtrationem regni filiæ minoris pertinere ad virum, poſtquam illa nupſerit, reddit rationem his verbis: *Cum ceſſet tutela, vel cura*. Et in propriis terminis docent *Segura l. Unum ex familia, §. Sed ſi fundum num. 24. ad medium, ff. de legatis 2. Suarez l. 9. num. 38. tit. de los pleitos lib. 1. legum fori, Baeza de inope debitore, cap. 14. num. 4. & de decima tutori præſtanda, cap. 4. num. 20. Perez* teſtantes ſe vidiſſe, ita ſæpè ſententia judicum in hoc regno deciſum, *l. 3. ad finem, tit. 11. lib. 4. ordinamenti, Monteroſus in ſua practica, tractatu 7. tit. de tutelas y curadorias, columna 3. paulò ante verſiculum, y por el conſiguiente, Azevedo lib. 5. recopilat. tit. 1. l. 8. n. 48. & 49.*

59 Poſterior ſententia, cui tamquam probabiliori accedo, ait, nequaquam eximi. Ducor primò, quia cum jure communi ſit ferè expreſſum, non eximi minorem curatoris poteſtate per matrimonium, nec verbis expreſſis ſit contrarium jure hujus regni deciſum, non eſt à jure communi recedendum, tum per principia vulgaria dictantia vitandam omninò juris correctionem, ac jura juribus concordanda; tum etiam, & præcipuè, quia regiæ partitarum leges ſunt ex jure communi deſumptæ, & ideò illud corrigere non cenſetur, niſi expreſſis verbis id dicant. Ut latè probavi *lib. 3. de matrim. diſput. 41. num. 8. verſic. Nec obſtat textus*. Sucundò ducor ex declaratione legum regiarum, quibus inititur contraria opinio, quæ illam non probat. Nam *lib. 6. tit. 17. pag. 7.* quæ adducitur in primo argumento contrario, ſic intelligitur, præmiſerat integrum eſſe tutori filiam ſuam in matrimonium collocare cum ſuo pupillo, non autem ſuam pupillam cum ſuo filio; eamque diſcriminis hujus rationem reddit. Quia cum vir præſit uxori, filia tutoris non erit impedimento, quominus vir ſuo tempore, nempe, finita cura per ætatem vigintiquinque annorum, poſſi à curatore rationes exigere. At eſſet impedimento filius tutoris ejus pupillam ducens; nollet enim ob patris reverentiam. Et ideò textus ille id ſolùm confirmat, quod jure communi ſtatutum erat, *lib. Curatorem. 5. C. de interdicto matrimon.* ubi ille textus matrimonium interdictum *lib. ſi patris. 6. C. eod. tit.* pupillæ cum filio tutoris, decidit permitti inter filiam tutoris, & pupillum. Ubi *Gloſſa verb. Falſo* communiter recepta tradit eamdem rationem redditam, *d. lib. regia 6.* Nec *lex alia regia* 3. adducta *num. 2. argumento contrario* id probat. Quippe id tamquam ſpeciale in regina ſtatuitur; quare deciſio illa non eſt ad alios curatores trahenda. Quia in regiis curatoribus peculiaria quædam inueniri teſtatur *Corſetus de poteſtate regia 3. p. quæſtione* 18. Nec *lex* 47. *Tauri* adducta *in 3. argumento* obſtat; non enim eſt par ratio; nam filium per matrimonium emancipari, eſt illi fauorabile, ut bonorum uſumfructum aſſequatur, quo matrimonii onera ſuſtententur. At liberari curatore eſt ipſi noxium. Tandem probatur ex *l. regia 3. tit. 17. parte 6.* quæ concordat cum *l. 2. C. qui dari tutor. poſſ.* ibi: *el marido non deve de ſer dado por guardador de los bienes de ſu muger, que ſea menor de edad; è por ende deve pedir el marido al juez, que de a los bienes della otro guardador*. Ergo clarè ſentit textus ille curam minimè finiri matrimonio. Et ideò hujus ſententiæ videtur *Gregorius Lopez d. l. 3. tit. 15. part. 2. verb. Feſta que ſea*, ubi ait non per matrimonium, ſed per pubertatem deſinere tutelam. Et in propriis terminis tenent *Mexia in l. Toleti p. 6. fundamento 2. numero* 10. dicens idem docuiſſe Salmanticæ ſuum magiſtrum *Benedictum de Caſtro*: *Parlador. de rebus quotidianis, lib. 1. cap. 12. à num. 5. uſque in finem*. Atque *Suarez* relatus *num. præced.* pro contraria ſententia fatetur numquam in contrarium hujus ſententiæ fuiſſe judicatum. Et *Azeved. num. 49. in fine*, relatus quoque *num. præcedenti*, fatetur ſe experientia doctum numquam praxi contrarium obtineri potuiſſe.

60 His ergo præmiſſis, incipiendo à tutore conſtat apud omnes nemine diſcrepante, tutorem utriuſque ſexus poſſe omnia prorſus impuberum vota irritare, inſtar patris. Quippe vices patris ſupplet ad conſulendum imbecillitati intellectus impuberum, ne imprudenter votis ſe adſtringant. An verò poſſit vota tempore impubertatis emiſſa irritare, quando ea ætas tranſacta eſt, dixi *c. 30. num.* 14.

61 De curatore autem, quo ad puberum minorum vota, non omninò idem dicendum eſt, quod de patre; ſed in aliquibus conveniunt, & in aliquibus differunt. Conveniunt circa realia puberum vota, & mixta, quòd poſſit ea irritare inſtar patris, dum minor ætas durat. Et ſicut pater nequit irritare votum peregrinationis gratia abſolutionis obtinendæ, aut in ſubſidium terræ ſanctæ; aut quando bona veniunt in conſequentiam voti perſonalis; ſicut explicuimus *à num. 24. uſque ad* 27. ita nec curator poterit ea vota irritare. Quod univerſi fatentur.

62 Aliqui limitant, quos tacito nomine refert *Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto lib. 6. c. 5. num. ultimo*, niſi votum reale minoris confirmetur juramento: tunc enim dicunt non poſſe irritari id votum à curatore. Ducuntur à ſimili ex *lib. 1. & authent. Sacramenta puberum, C. ſi adverſus venditionem*, ubi decernitur contractum minoris inconſulto curatore initum firmari juramento. At merito *Suarez ibi* hanc limitationem reprobat. Quia id juramentum, utpote ſoli Deo factum, habet, inſtar voti, imbibitam conditionem, niſi pater, aut curator contradixerit, & ita poteſt ab ipſis irritari. Nec obſtant illi textus, quia de ſolis contractibus geſtis cum hominibus diſponunt.

63 Sed de votis emiſſis à minore de peculio caſtrenſi, vel quaſi eſt difficultas: quamvis enim *n.* 23. negaverimus patri poteſtatem ea irritandi; non inde ſequitur negandam quoque curatori. Tum, quia textus *ibi* allegati ſolùm decidunt filium familias in eo peculio haberi, ac patrem familias, & ſic patrem nil habere in eo. At reſpectu curatoris nil definiunt; & ut *n.* 66. videbimus, eſt diverſum in filio conjugato reſpectu patris, & reſpectu curatoris.

64 At dicendum eſt non poſſe id votum irritari à curatore. Ducor, quòd jura relata *n.* 23. diſponant reſpectu hujus peculii haberi filium omnino, ac ſi paterfamilias eſſet, quo ad liberam illius diſpoſitionem. Secundò, quia *Caldas lib. Si curatorem, verbo Leſis num. 88. C. de integr. reſtitut.* ſupponit tamquam rem certam, puberem minorem reputari majorem, quo ad hoc peculium. Tandem, quia nullus eſt textus decidens circa id peculium eſſe dandum minori curatorem; cum ſint textus decidentes eum reputandum patremfamilias; & circa bona verè adventitia, in quibus denegatur patri uſusfructus, decidunt textus dandum minori curatorem. Ut vidimus *num.* 39. & 40. Et ideò ita tenent *Alcozer ſumma c. 16. ubi de potentibus irritare vota, concluſione quarta, fol. 56. pag. 1. Graſſis prima parte deciſionum lib. 2. c. 29. num. 6. Angles floribus 2. p. quæſt. unica de voto, art. 7. poſt difficultatem 12. in dubio 8. Emmanuel Sà in ſumma, verb. Votum, ubi de votorum irritatione, numero primo, Sayro in clavi regia, l. 6. c. 10. num. 25. Leonardus libro 2. de juſtitia, c. 40. dub. 10. num.* 81. Et ſatis videntur ſignificare omnes Auctores relati *n.* 22. qui eam poteſtatem patri denegant, cum ſupponant eamdem eſſe curatoris poteſtatem circa minores, nec ſpecialem difficultatem de curatore moveant.

65 Differunt autem pater, & curator quo ad hæc vota irritanda. Nam pater illa irritare poteſt, quamdiù filius eſt ſub ſua poteſtate, etſi vigeſimum quintum annum excedat. Ut diximus *num.* 29. At curator nequit, ubi primùm minor eam ætatem complet. Quia extunc ceſſare ipſo jure ejus officium diximus *num.* 55. Atque ſi ante eam ætatem impetret ætatis veniam à principe, nequit deinceps curator vota illius irritare. Quòd ex tunc ejus quoque officium ſpirare diximus *num.* 56.

66 Inſuper differunt, quia pater nequit irritare vata realia emiſſa à filio minore conjugato receptis Eccleſiæ benedictionibus, aut aliter emancipato. Ut diximus *nu.* 33. & 34. At ſi ille curatorem habeat, poteſt curator, juxta veriorem ſententiam, quam *num.* 59. ſuſtinuimus, quæ dicit non eximi tunc curatoris poteſtate. Et id clarè loquens de filio emancipato docet *Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto, l. 6. c. 5. n.* 12. dicens enim vota puberis emancipati non poſſe irritari à patre, limitat, niſi eſſet minor, & maneret ſub tutela patris; quia tunc inquit ſubjectio non aufertur, ſed mutatur, quod preinde eſt.

67 Præterea, quando adminiſtratio bonorum aufertur patri, in caſibus expreſſis *à num. 39. uſque ad* 42. pater nequit irritare vota realia minoris. Ubi *ibi* probavimus. At curator in illis caſibus datus poterit. Quippe habet integram bonorum adminiſtrationem. Ut *ibi* diximus.

68 Quòd ſi quæras, an curator datus majori ratione prodigalitatis, poſſit ejus vota irritare? Videtur pars negans. Quia Doctores poteſtatem irritandi vota concedunt curatori, ratione ſolius minoris ætatis. At exiſtimo poſſe irritare vota eo tempore curæ emiſſa. Quia huic majori eſt ſimiliter interdicta penitus bonorum adminiſtratio, & ad eam datus curator, imò magis eſt interdicta, quàm minori. Nam minor habens curatorem, & abſque ejus licentia contrahens, obligatur naturaliter, juxta veriorem ſententiam, quam probavi *lib. 6. de matrim. diſput. 38. num.* 21. At prodigus, cui datur curator, nec naturaliter obligatur. Ut tamquam certum tradunt *Caldas lib. Si curatorem, verb. Cum non ab ſimilis num. 22. C. de in integr. reſtit. Leon. l. 2. de juſt. cap. 17. num. 56. verſic. Secundò contractus prodigi*. Et conſtat ex *lib. Is cui bonis 6. ff. de verbor. obligat.* ibi: *Is, cui bonis interdictum eſt, tradere non poteſt, vel promittendo obligari; & ideò nec fidejuſſor intervenire poteſt pro eo*. At ſi obligaretur naturaliter, maneret utique fidejuſſor obligatus, *lib. Naturaliter 13. ff. de condictione indebiti*. Præterea, quia cum nullatenus ille de bonis diſponere valeat inconſulto curatore, ut illa vota realia valent, debent neceſſario includere conditionem pendentem à curatoris conſenſu. Sicut ob eamdem rationem denegatæ adminiſtrationis, vota realia minoris claudunt conditionem pendentem ex curatoris conſenſu. Cum ergo hæc conditio in votis imbibita ſit fundamentum poteſtatis irritandi; ut probauimus *cap. 26. numer.* 5. poterit hic majoris curator perinde irritare realia ejus vota tempore ſuæ curæ facta, ſicut poteſt curator minoris tempore ſuæ. Differt tamen curator hic majoris à curatore dato minori, quo ad præſens attinet, in duobus. Prius eſt, nam curator datus minori poteſt irritare vota perſonalia ante pubertatem emiſſa tempore poteſtatis patris, aut tutoris, nec confirmata poſt pubertatem. Ut diximus *c. 30. n.* 15. utpote qui non ſolis rebus, ſed perſonæ etiam datur: poteſt etiam quædam vota perſona-

ſonalia poſt pubertatem emiſſa irritare; ut dicemus *num. ſequenti*. At datus majori prodigo neutrum poteſt. Quia ſolis bonis adminiſtrandis datur. Poſterius eſt. Ille poteſt irritare vota realia emiſſa à minori etiam tempore, quo extra ſuam curam erat, ſed patris, vel alterius curatoris. Hic autem minimè id poteſt, ſed ſola tempore ſuæ curæ, vel alterius ſimilis curatoris dati ei majori prodigo, cui ipſe ſuccedit. Quia non ſuccedit in eamdem moraliter poteſtatem patris, aut curatoris dati minori; ſed eſt diuerſæ rationis curator.

69 Tandem circa vota perſonalia puberum minorum præjudicantia gubernationi domeſticæ, quæ irritari poſſe à patre diximus *num.* 16. eſt idem dicendum de curatore. Quia ſuccedit in plenas patris vices. Et ita docent *Navarr. ſumma c.* 12. *Hiſpana num.* 65. *Latina num.* 64. *verſicul. Tertiò præſupponimus, Vivaldus candelabro ſacram.* 5. *p. c.* 14. *num.* 99. *Emmanel Sà in ſumma, verb. Votum, ubi de votorum irritatione num.* 1. Quare cautè dixit *Suarez tomo* 2. *de religione, tract. de voto, lib.* 6. *c.* 6. *num. ult.* curatores non poſſe loquendo per ſe vota perſonalia puberum irritare.

70 Quòd ſi plures ſint impuberis tutores, aut plures puberis curatores, poterit quilibet vota eorum irritare. Quia non eſt potior ratio de uno, quàm de alio. Ita *Sylv. verb. Religio* 2. *q.* 13. *Suarez eodem l.* 6. *c.* 6. *num.* 22. Et uterque benè ait potiorem eſſe conditionem prohibentis, ſeu irritantis. Quia quilibet habet ſufficientem poteſtatem, quæ per alium impediri nequit.

71 Hinc deducitur, ambobus ſimul irritantibus, & alter ſit verus tutor, aut ſit verus curator, alter autem falſus, valere irritationem. Quod conſtat ex *l.* 1. *verſic. Sed Pomponius; ff. quòd falſo tutore*, ubi deciditur valere contractum pupilli auctoritate duplicis tutoris initum, quorum alter ſolus erat verus. Quia ſola hujus auctoritas ſufficiebat. Ex quo textu colligunt Auctores, non obſtare valori actus, quod ad ipſum non exigitur, quamuis inutiliter fiat.

72 Nec vota, quæ hucuſque diximus, poſſe à curatoribus irritari, ſi irritentur, reuiuiſcunt ſoluta eorum poteſtate. Quod contra alios probavimus *c.* 26. *n.* 5.

73 Hactenus de tutore, & curatore diximus. Supereſt de matre diſputandum. De qua nulla eſt difficultas, quando eſt tutrix, aut curatrix filiorum: poterit enim irritare vota, eodem prorſus modo, quo alii tutores, & curatores. Cum eodem fungatur officio. At non eſt ipſo facto tutrix aut curatrix, etſi nullus tutor, aut curator ſit. Sed habet jus petendæ tutelæ à judice, qui eam aſſignare debet præſtito juramento, vel cautione quarumdam rerum legibus præſcriptarum. Conſtat ex *authen. Matri, & avia, C. quando mulier tutelæ officio fungi poteſt; & ex regiis, l.* 4. *&* 9. *tit.* 16. *p.* 6. *& l. regia* 95. *tit.* 18. *par.* 3.

74 Difficultas ergo eſt, quando non eſt aſſignata tutrix, aut curatrix filiorum. Quidam hanc poteſtatem matri negant. Ducuntur, quòd ideò patri poteſtas irritandi concedatur, quia habet filios ſub ſua poteſtate. Ut tradit *D. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 5. *corpore*. At mater non habet filios ſub ſua poteſtate. Ut conſtat ex *§. Fœminæ, inſtituta de adoptione, & ex l. regia* 2. *&* 8. *tit.* 17. *part. quarta*. Hujus ſententiæ videntur clarè *Paludanus* 4. *diſtinct.* 38. *quæſtione quarta, articulo* 2. *num.* 26. *concluſione* 8. *D. Anton.* 1. *p. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 6. *verſic. Secundò pueri, Sylueſter verbo Relig.* 2. *quæſt.* 13. ubi hæc ajunt. *Cum impubes habet patrem, pater poteſt ipſum reuocare à religione, non autem mater nolente patre: Patre autem mortuo, tunc mater, & avia, ſi habent tutelam ejus; ut quia non tranſierunt ad ſecunda vota. Quia tunc non poſſunt, cum perdant tutelam*. Et expreſsè tenet *Vivaldus candelabro ſacramentorum* 3. *par. cap.* 14. *num.* 97. ubi hæc ait, *Nequit mater irritare vota filiorum, niſi ſit tutrix*. Idem expreſsè docet *Tapia authent. Ingreſſi, verbo Ingreſſi, cap.* 6. *numero* 49. *C. de ſacroſ. Eccleſ. & eodem cap.* 6. *num.* 51. Et meliùs *Azor. tomo primo, inſtitutionum moralium, lib.* 11. *cap.* 17. *quæſt.* 7. *in fine*, ubi hæc ait. *Nequit mater ut mater, mortuo patre irritare vota filiorum; at ſi ſit tutrix, poteſt, non quatenus mater, ſed quatenus tutrix*. Ejuſdem ſententiæ videntur clarè alii concedentes hanc poteſtatem matri, ſi tutrix ſit, quare videntur à contrario ſenſu eam denegare, quando non eſt tutrix. Hi ſunt *Sylveſter verbo Votum* 4. *quæſtione* 2. *dicto* 1. *Nav. ſumma Latina, & Hiſpana cap.* 12. *num.* 64. *Beja in ſuis reſponſis* 1. *par. caſu* 49. *verſic. Tum ſecundò differunt, Angles floribus* 2. *p. quæſtione unica de voto, artic.* 7. *poſt difficultatem* 12. *in dubio* 4. *Ludouicus Lopez* 1. *par. Inſtructorii conſcientiæ cap.* 47. *column.* 2. *verſic. Irritatores legitimi: & column.* 3. *verſic. Pater, & mater, Græffis* 1. *part. deciſionum, l.* 2. *cap.* 29. *num.* 3. *in initio*. Et ejuſdem ſententiæ eſt clarè *Leonardus lib.* 2. *de juſtitia cap.* 46. *dubio* 10. *numero* 87. ubi cum dixiſſet patrem, & tutorem poſſe impuberum vota irritare: ſubdit hæc: *Mater tamen non poteſt, niſi mortuo patre ſit loco tutoris. Quia non ipſa, ſed tutor habet patriam poteſtatem*. Pro eadem ſententia ſunt Doctores dicentes, matrem non poſſe filium impuberem offerre religioni, eò quòd non habeat illum in poteſtate. Quos retuli *hoc libro* 4. *capite* 18. *numero* 18.

75 Alii verò cenſent, poſſe matrem adhuc patre viuente vota hæc irritare. Ducuntur primò, quia *Innoc.* & multi alii Auctores, quos retuli *hoc lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 19. ajunt aliquibus textibus innixi poteſtatem offerendi filii impuberis religioni, ac ipſius revocandi competere æquè patri ac matri: nec obſtare ſoli patri competere patriam in filios poteſtatem: quia (inquiunt) in his ſpiritualibus potiùs ratio naturalis ſpectanda eſt, quàm civilis, & patria poteſtas eſt jure ciuili inducta: jure autem naturali tenetur filius utrique parenti obedire, & ſub utriuſque cura eſt. Quod etiam ſignificare videtur, *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 189. *artic.* 5. *corpore*, ibi: *Et quia pueri naturaliter ſunt in poteſtate patris quantùm ad diſpoſitionem ſuæ vitæ, poterit pater votum eorum reuocare*. Ubi expendo ea verba: *Naturaliter ſunt in poteſtate patris*: non enim ad poteſtatem ciuilem, ſed ad naturalem confugit; quæ cum matri quoque communis ſit, idem erit matri concedendum. Secundò, quia mater poteſt quouis tempore præcipere filio, ipſumque occupare. Quam rationem tradit *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 8. *ad* 3. *&* 4. *d.* 38. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſtiuncula ultima ad* 3. ut prælatus poſſit vota religioſi irritare, & vir uxoris. Tertiò quia *lib.* 1. *de matrimonio, diſputat.* 23. *num.* 9. cum multis defendimus poſſe matrem præſente filio tacente, inire nomine illius valida ſponſalia, & matrimonium, idque non eſſe ſolius patris. Quartò, quia *D. Thom. opuſculo* 17. *cap.* 13. *ad* 10. *& Sotus lib.* 7. *de juſtit. q.* 3. *artic.* 1. *columna* 3. *verſicul. Sciſcitaris aut* ajunt, poſſe parentes irritare vota filiorum, nec diſtinxere, an viuat pater, necne, ſed indiſtinctè loquuntur. Et *lex regia* 3. *titul.* 8. *p.* 1. videtur clarè hujus ſententiæ, ibi; *El que non fuere edad, non puede fazer tal prometimiento à menos de mandado de ſu padre, ò de ſu madre, ò de ſu guardador*. Ubi apertè æquiparat matrem patri, ac curatori. Idem ferè apertè ſentit *Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo primo p.* 2. *lib.* 3. *capite quatto, paulò poſt principium*, ubi hæc ait: *Irritare pertinet ad patrem, matrem, & tutorem*. Et *Margarita confeſſorum, ubi de irritatione votorum, f.* 134. *col.* 2. ibi: *Poteſt mater omnia vota impuberis irritare*.

76 Tandem alii Doctores non ita latè poteſtatem hanc concedunt matri, ſed cum aliquo temperamento. Sic *Carthuſianus c.* 30. *Numerorum, paulò poſt principium, verſic. Denique quia vouere*, ubi hæc ait: *Certum eſt, quòd pater eſt principalis in regimine domus, curaque ſobolis, ſed eo defuncto, irrecuperabiliterue ſubtracto, manet proles ſub cura, & regimine matris. Sicque apparet, quod in ea exiſtat auctoritas revocandi ſuæ ſobolis juramentum, & votum*. Ubi in ſolo mortis, aut irrecuperabilis abſentiæ paternæ caſu id concedit matri. Et videtur loqui, quando in neutro caſu eſt tutor, cui impuberis cura ſit commiſſa. Et *Vivaldus candelabro ſacram.* 3. *p. c.* 14. *num.* 97. ubi hæc ait: *Si pater eſſet in India, mater, quæ habet adminiſtrationem bonorum, poſſet irritare vota; quia cenſetur ſicut tutrix*. Ubi in tam diuturna patris abſentia, & quando non eſt tutor, cui adminiſtratio bonorum conceſſa ſit, id admittit. Et *Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de irritatione votorum numero primo*, ubi hæc ait; *Poteſt mater, ſi tutrix ſit, imò ſecundùm quoſdam, etſi non ſit tutrix impuberis, nec ſit curatrix puberis, mortuo patre impuberis omnia, & puberis realia vota irritare; non autem perſonale ſibi non præjudicans*. Ubi ſolùm mortuo patre hanc poteſtatem concedit matri. Et *Manuel* 2. *tomo ſummæ cap.* 91. *num.* 10. *concluſione* 9. ubi hæc ait; *El miſmo poder que tiene el padre de irritar los votos de ſu hiio, tiene la madre deſpues de la muerte de ſu marido, principalmente quedando por ſu tutora*. Ubi clarè idem videtur dicere, etſi non ſit tutrix, & ſolùm poſt obitum patris id matri concedit. Atque idem eiſdem prorſus verbis docent *Stunica de voto* 3. *num.* 95. *Vaga* 2. *tomo ſummæ cap.* 119. *caſu* 96. *in fine, & Sayro in clavi regia, lib.* 6. *cap.* 10. *num. ultimo* hæc ait; *Non poteſt mater viuo, aut mortuo patre, niſi ſit tutrix, irritare vota. Quòd ſi nec tutores, nec curatores ſit, ſuccedet mater, atque ea omnia poterit, quæ pater, & tutores circa vota perſonalia, & realia, potuiſſent; & matre deficiente ſuccedit auia*. Ubi petit patris obitum, & nullum eſſe tutorem.

77 Sed in hac difficili quæſtione meam ſententiam aliquibus concluſionibus explicabo. Prima concluſio ſit. Mater, quæ filiorum curatrix non eſt inſtituta, nullam poteſtatem habet circa realia puberum vota. Hæc eſt contra aliquos Doctores *num.* 75. *& num. præcedenti* allegatos, quorum ſententiam in hoc *ibi* retuli. Et pro hac concluſione ſunt Doctores, quos *num.* 74. retuli, negantes matri poteſtatem irritandi vota. Et tenet expreſsè *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de voto, lib.* 6. *c.* 5. *in fine*. Ducor, quod nec ipſi patri competat hæc poteſtas, quando adminiſtrationem bonorum filii non habet. Ut probauimus *num.* 41. & 42. Sed mater non curatrix nullam adminiſtrationem bonorum filii puberis habet, ſed ea tota deficiente patre ad curatorem pertinet; quòd ſi nullus curator ſit, pertinet ad ipſum puberem. Nec enim eſt ipſo facto curatrix, niſi inſtituatur. Ut probavimus *num.* 73. Quòd ſi mater tunc forte adminiſtret bona illa, id quidem ex ſola puberis voluntate continget, ac proinde in nulla bonorum diſpoſitione pendebit ab illa; ſicut non penderet ab œconomo, cui eam adminiſtrationem committeret. Non ergo poterit ea vota irritare.

78 Secunda concluſio. Mater viuo, aut non longè abſente patre, nulla filii impuberis vota poteſt irritare; nec etiam defuncto patre, ſi impubes ille tutorem habeat. In hac concluſione convenio cum Auctoribus *num.* 74. *&* 76. citatis, & eſt contra Doctores *num.* 75. relatos. Et loquens, quando viuit pater, aut eo mortuo eſt datus alius tutor, tenet *Suarez eodem lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 19. *& triplici ſequenti*. Addidi autem, *quando non longè abeſt pater* ab ea, quæ dicam

num.

num. 79. Quia in priori caſu id patri competit, utpote, qui ſolus eſt caput totius domus, & familiæ, & habet plenam rerum, & perſonarum gubernationem. In poſteriori autem adeſt tutor, qui in plenas patris vices ſuccedit. Dixi autem verè irritare. Quia in utroque caſu poteſt voti obligationem ſuſpendere, quando ei vota illa præjudicant ex parte materiæ. Quia poteſt illum tempore, quo impleturus erat votum, occupare, ſiquidem lege divina naturali tenetur ei obedire: cui antiquiori obligationi nequit ſuo voto præjudicare. Et ita docet *Suarez eodem cap.* 6. *numero* 21. Additque fortè etiam filio præcipere, poſſe, ne votum exequatur, donec patrem conveniat. Quia id non excedit limites obedientiæ debitæ matri. Et placet mihi. Cum tamen id votum non ſit irritatum, ſed ſuſpenſum, obligabit ceſſante illa occupatione, niſi tranſactum ſit tempus, cui adnexum erat. Ut in ſimili diximus *cap.* 25. *numero* 32.

79 Tertia concluſio. Mater poteſt quæcumque filii impuberis vota irritare, quando aut pater obiit, aut ita longè abeſt, ut per epiſtolam conſultus nequeat reſpondere, longiſſimo tempore expectato: ut ſi pater eſſet apud Indos, & mater in Hiſpania: ac in neutro caſu ſit aliquis illius impuberis tutor. Atque loquentes, quando pater eſt mortuus, & non eſt alius tutor, tenent Doctores aliqui *num.* 76. relati, ubi eorum ſententiam poſui. Et *Llamas methodo curationis* 3. *p. c.* 4. *§.* 21. *Suarez eo c.* 6. *num.* 22. Et quando tam longa eſt abſentia, tenent aliqui relati *eo numer.* 76. Rationem autem reddit *Suarez*, quòd mortuo patre habeat jure ordinario tutelam filii mater. Sed ſi velit dicere nullo alio relicto à marito tutore habere ipſam jus illius petendæ, id verum eſt: ſi autem velit eam eſſe ipſo facto tutricem, non eſt verum. Sicut utrumque probavi *numer.* 73. At ex eo, quod habet jus petendæ tutelæ, non ſequitur eam poſſe, quod tutor poteſt, donec in illa ſit conſtituta. Quare legitima ratio eſt, quia etſi in neutro caſu, mortis, aut tam longæ abſentiæ, ſit verè tutrix, eſt tamen ejus loco, plenamque impuberis curam gerit, nec alius eſt, qui imbecillitati judicii impuberis in votis emittendis conſulat. Præterea, quia non pauci Doctores, ut retulimus *num.* 75. judicant id munus competere matri, etſi non ratione poteſtatis civilis, qua erga filios caret, ratione tamen poteſtatis naturalis, quam habet in illos. Præterea, quia mater poteſt filii operas miniſterio alicujus locare. Ut teſtatur *Lucas de Penna*, quem refert, & ſequitur *Greg. Lop. p.* 4. *tit.* 17. *in proemio*.

80 Nec in hoc diſtinguo: an mater tranſierit ad ſecundas nuptias, necne, ſed in utroque caſu exiſtimo hoc poſſe, contra aliquos Doctores *num.* 74. relatos. Quia cum hoc non concedamus matri ratione tutelæ, ſed quamvis tutrix non ſit, nil refert tranſitus ad ſecundas nuptias, per quem perdit tutelam. Et ita alii Doctores meritò non diſtinguunt ſed abſolutè loquuntur. Quamvis *Suarez eo num.* 22. innuat contrarium: ait enim, quando mater privatur tutela, ſolere dari tutorem, cujus eſt irritare vota. At fateor ſolere dari, & ſi detur, jam non poſſe matrem. At ſi non detur, quia nec mater antea tutrix erat, aut ſi erat tutrix, non petitur à judice ſuccedens in tutelam, qua ea privatur poterit utique mater, ſicut poſſet, quamvis non eſſet tutrix, nullo alio exiſtente tutore.

81 Ultima concluſio. Deficientibus parentibus, & tutore poſſunt avi, & aviæ, & reliqui aſcendentes propinquiores irritare omnia vota, quæ matri conceſſimus. Quia eſt eadem ratio, & hi ſunt velut parentes, ac eorum loco, & omnibus his tenetur ille impubes obedire. Et ita loquentes de avia fatentur *Palud, D. Anton. Sylv.* relati *num.* 73. *& Sayro* relatus *nu.* 76. Atque idem fatetur *Suar. eo nu.* 22. de avo, & quocumque aſcendenti priori.

82 Demum ſupereſt triplex difficultas. Prima eſt. Uter parens valeat irritare vota filii illegitimi, ſive naturalis, ſive ſpurii? Sic diſtinguendum exiſtimo. Si filius ille tutorem, aut curatorem habeat, neuter parens irritare poteſt, ſed id tutori, & curatori incumbet. Ducor, quòd eadem prorſus ratio ſit, ac de matre. Cum illegitimi in neutrius poteſtate ſint. Ut conſtat ex *inſtitut. de patria poteſtate, in principio*, & ex *l. regia* 2. *tit.* 17. *p.* 4. *à num.* 77. diximus matrem legitimam nulla filii vota poſſe in hoc caſu irritare. Si autem filius ille ſit impubes, tutoreque careat, & pater ita certus ſit, ut teneatur eum alere, poterit irritare quæcumque ejus vota: ſicut *num.* 79. idem diximus in hoc caſu de matre legitima. Quia etſi careat pater poteſtate civili, habet tamen naturalem, quam in hoc caſu ſufficere diximus *ibi*, ne impubes hic deſtitutus remedio maneat. Et ideò ratione hujus poteſtatis naturalis probaui *hoc lib.* 4. *c.* 18. *num.* 20. poſſe hos filios quantumuis ſpurios, offerri religioni, & ab ea revocari à parentibus. Quod idem credo poſſe matrem, etiam præſente patre, imò majori ratione, quàm ipſe. Quia uterque æqualis eſt in non habendo eum filium in poteſtate: mater autem excedit patrem, quòd ſit omnino certa, cum pater valde incertus ſit. Et ideò leges ipſæ hac ratione ductæ majus jus conferunt matri, quàm patri. Quandoquidem mater carens prole legitima, & hujuſmodi filii, demptis paucis, qui ob ſpeciale parentum delictum in hoc puniuntur, ſunt neceſſarii mutuò ſibi hæredes. Quod nec patri, nec filiis reſpectu ipſius competit. Ut conſtat ex *l. regia* 9. *Tauri, hodie l.* 7. *tit.* 8. *lib.* 5. *recopilation*. Tandem ſi filius ille pubes ſit, quamvis curatore careat, neuter parens poteſt ejus vota irritare. Sicut *num.* 7. eamdem poteſtatem matri negauimus. Quia neuter parens habet bonorum hujus filii adminiſtrationem. Atque idem, quod de parentibus diximus, dicendum eſt de avo, & avia, ac reliquis aſcendentibus ſuo ordine, quando parentes deficiunt, juxta dicta *num. præcedenti*.

83 Secunda difficultas eſt, an dum impubes omnibus aſcendentibus, & tutore eſt deſtitutus, poſſint alii ejus vota irritare? *Leonardus lib.* 2. *de juſtitia c.* 40. *dubio* 10. *num.* 78. refert quoſdam tacito nomine ſentire, poſſe magiſtrum, vel herum ejus vota irritare: Quia loco parentum habentur. Et id ait eſſe rationi conſonum. *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de voto lib.* 6. *c.* 6. *num.* 23. dicit conſonum pietati, & rationi, quod aliqui affirmant, ut ii, ſub quorum gubernatione tunc eſſe contingit impuberem, poſſint verè ejus vota irritare: quaſi in hoc habeant vicem patris, vel tutoris. Et *Sayro in clavi regia lib.* 6. *c.* 10. *num.* 18, *in fine*, ait poſſe dominum univerſa ſervi impuberis parentibus orbati vota irritare. Quòd rationi conſonet, ut ſicut dominus totam illius ſervi curam habet, ita & univerſa illius vota tunc irritare poſſit, eodem prorſus modo, quo parentes, ſi ſuperſtites eſſent, poſſent. Et *Suarez eodem num.* 23. dicit rationi conſonare, & eſſe magis certum, quàm in caſu præcedenti. Atque conſequenter loquendo, omnes hi idem dicerent de nutritio infantis expoſiti impuberis, cujus parentes ſunt ignoti.

84 At quamuis hanc ſententiam valde piam exiſtimem, & poſſet aliquis horum Doctorum auctoritate nixus illam conſulere, & ſequi, non audeo illam approbare. Quia ſolido fundamento caret, ſolique pietati innititur, quæ ſufficiens non eſt ad hanc poteſtatem dominativam adſtruendam. Et ideò alii meliùs dixere huic impuberi integrum eſſe votis ſe adſtringere independenter ab alterius voluntate. Quia ſunt omnino ſui juris. Hi ſunt *Paludan.* 4. *d.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 1. *num.* 9. *concluſione* 5. *D. Antoninus* 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. *§.* 6. *verſic. Secundò pueri, Sylveſt. verbo Votum* 4. *q.* 2. *dict.* 2. *Margarita confeſſorum, ubi de irritatione votorum, fol.* 134. *pag.* 2.

85 Ultima difficultas. An ſi minor vovens inveniatur læſus notabiliter, aut hic impubes, poſſit adversùs votum, ſicut adversùs alios contractus, reſtitui? Affirmant *Paludan. D. Antoninus, Sylveſt. & Margarita confeſſorum*, relati *num. præcedenti*. Quia in omnibus aliis contractibus, quando læſi inveniuntur, poſſunt reſtitui. Ut conſtat ex *toto tit. ff. de minoribus*.

86 At hoc non credo. Et ita eam reſtitutionem adversùs votum negat *Vincentius*, quem referunt, & ſequuntur *Joannes Andr. c. Scriptura, num.* 5. *de voto, & ibi Anton. numer* 4. *Cardinalis in fine, Ananias num.* 4. *Sfortias Oddo tractatu de in integrum reſtitutione* 2. *parte quæſt.* 61. *toto art.* 6. Tum quia adversùs opus pietatis minor non reſtituitur, etiamſi integrum patrimonium in id expendiſſet. Ut probat *idem Sfortias Oddo eod. tractatu parte* 1. *quæſt.* 23. *art.* 12. *num.* 55. Quia cum anima cunctis rebus pretioſior ſit, conſumens totum patrimonium in hoc non dicitur læſus. Tum etiam quia reſtitutio hæc adversùs votum eſſet contra Deum petenda, cum quo per votum contrahitur. At ſi adversùs patriam, vel parentes, ratione reverentiæ eis debitæ denegatur minoribus reſtitutio: multò fortiori ratione eſt adversùs Deum deneganda. Et facit textus *l. Veluti ff. de juſtitia, & jure*, arguendo ab ordine litteræ. Imò (ut rectè ait *idem Sfortias Oddo eadem q.* 61. *art.* 6. *in fine*) etiamſi executio ejus voti cederet in alicujus privati utilitatem, ut ſi eſſet votum eleemoſynæ certo pauperi erogandæ, non daretur minori reſtitutio; Quia eædem rationes militant.

CAPUT XXXVI.

Qualiter dominis integrum ſit vota ſervorum irritare?

SUMMARIUM.

An dominus poſſit omnia ſervorum vota irritare? Refertur quædam ſententia, nu. 1.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 2.
An votum caſtitatis ancillæ valeat dominus irritare? num. 3.
Quid de voto aliquarum precum? num. 4.
Quid de voto abſtinentiæ, ſeu jejunii? nu. 5.
Quid de votis præceptorum? num. 6.
Quid de votis realibus? num. 7. 8. 9. *&* 10.
An valeat irritare vota omnia ſervi impuberis? Remiſſimè, numero 11.
Quid de votis ante ſervitutem emiſſis? Remiſſivè nu. 12.
An vota ſibi præjudicantia poſſit omnino irritare, an tantùm quatenus præjudicant? num. 13.
An non ſolus vir, ſed uxor etiam poſſit irritare vota ſervorum? num. 14.
Quid, ſi ſervus ſit filiifamilias? num. 15.
Quid, ſi ſit pupilli, aut minoris? num. 16.
Quid, ſi hi habeant matrem, & careant patre, ac tutore? numero 17.

Quid